Notata cuiusdam. Primus Episcopus Posnaniensis de tribu Pot-
danus et Familia [illegible] hic a S. Pontif. Stephano
VII. ... Mieczislao ... [illegible] Pontifex
dedit gladium quo S. Petrus Malcho auriculam abscidit in Si-
gnum ... et hic gladius in Ecclesia Cath. Posnan. conservatur
Joannes [illegible] fuit Episcopus Posnan. et post Archiepiscopus
[illegible] plenus virtutibus mortuus [illegible] ut per
abdicationem [illegible] peccati [illegible] proferret re-
spondit. [illegible] iter sed [illegible] re-
petam et [illegible] verbis finivit vitam fol. 34

z bibl. [illegible] X. J. Rocikowskiego

2798

JUS CAPITULI
SEU
TRACTATUS NOVUS
ET ABSOLUTUS

De Potestate Capituli Sede Episcopali vacante,
in Quinq; Partes Distributus.
cum adjecta Jllustrissimorum Episcoporum Posnanien:
Historica Synopsi.


Per

NICOLAUM ZAŁASZOWSKI
J. U. Doctorem
ARCHIDIACONUM POSNANIENSEM.

Opus Posthumum Curâ & Impensis
Illustrissimorum ac Reverendissimorum
ultimæ voluntatis Ejus
PRÆSTITUM.

Ex libris Casimiri
Hieronymi Omański
E Marzybcz

Typis Academiæ Posnaniensis Anno Domini 1706



Agnus in Elysios campos jens Lilia liquit
Sponsa Sagitta suos, obtulit illa sinus
Lilia terna Tibi quare commissa tuere
Æternùm vigeant, candida secla Deo

Alexander Dzialynski in Acad. Pos Poes. Stud.

ILLVSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. STANISLAO
à Bogusławice
SIERAKOWSKI
J. V. Doctori, in Eccleſia Cathedrali Poſnan: Archidiacono Sremenſi, Gneſnenſi Canonico, ac ejuſdem Vacante Sede Generali
ADMINISTRATORI.

A Capite erudito Zalaßoviano, Ius Capituli, ad Te Supremi Capituli in Regno Poloniæ Generalem Adminiſtratorem devolvitur. Tractatus novus & abſolutus, novam quidem ex ſe, ſed veterem ex Tuis meritis, et abſolutiſſimā quibuſvis animi bonis, & omni literario operi vacantem Sedē invenit. Opus poſthumum, poſt humanum omne recto judicio in Te habet receptaculum. Iure devolu-

volutivo, ex asse, hoc opus, hic labor Perillustris olim & Reverendissimi D. Nicolai Záláßowski I. V. D. & in Universitate Crac: quondam Professoris, Archidiaconi Posnanien: Tibi Jllustrissime Domine *cedit Doctoris opus, quidni ad Doctorē? Archidiaconi, ad Archidiaconum ejusdem Cathedræ præsentissimum sibi lumen. Maximum tamen rei argumentum est, quod à minimis Tui honoris Cultoribus Collegij Pontificij Lubransciani Posnaniensis liber hic libere dirigitur, eâ libertate, quâ ad Te, semper* Jllustrissime Domine *ferimur. Benevolentia, cum in omnes, tum in nos satis probata, dux erat celerioris ad lucem publicā Operis huius, processûs. Cum Innata Præclare Factorū Tuorum Virtus, & excelsa mens quidquid præclari agitur undiq̧, libenter acceptat.* Tua Jllustrissime Domine *Administrator acuta in omnes pupilla Lubranscianum Helicona ita observat, ut abscondi gemino suo vertice non possit, semper Tuo benefico obtutui sit præsentissimus: qui dum sic pendet ab oculis, necesse, ut etiam nunc applaudat Honori Administrationis Generalis Gnesnensis: opere*

hoc

hoc alieno quidem ſed quaſi proprio, cum ſui Patris, Doctoris, Benefactoris. Sed tenues tentamus grandia, cum amplitudinem Honoris Tui Adminiſtratorij & poteſtatem in Te Capituli Perauguſti, anguſtæ huic audemus includere paginæ. Onus eſt non leve animi, Honores magnis laudibus dignos, etiam attingere. Erigit tamen vota noſtra Gentilitia Tua Sagitta ſemper ad honores, nomenq́ꝫ bonū, famam laudeſq́ꝫ erecta. Obligavit quoq́ꝫ annulus Academicum noſtrum pectus & obſignavit ut gratum ſemper Nomini Tuo exiſtat, & Honori applaudat. Ferremus in fronte Libri huius jure debito merita Tua & patria decora, ſed frontem Tuam modeſtiſſimam reveremur & ſupercilium. Ius eſſet Te magnis dicere ortum Natalibus, ſed cum Orbis hoc ſciat, nôſtra veneratur proinde ſubmiſſio. Honor Tuus non tenui, ſed triplici funiculo, qui difficile rumpitur, virtute, ſapientiâ & in rebus agendis dexteritate tenetur major omnibus laudibus. Acceſſit hunc ad Honorem liliatus ſacri ſenaculi Metropolitanæ Gneſnenſis Eccleſiæ Patrum candor, dum Te Sagittâ & Annulo Gentilitiô inſignem Lilieti ſui

ti sui forte Præsidium & dulce Decus suum elegerit. Accedit Illustrissimi & Reverendissimi Dni Dni Hieronymi à Magna Chrzastow Wierzbowski, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ E-piscopi Fessensis, Suffraganei, Præpositi, nec non Deputati à Sede Apostolicâ Posnanien: Administratoris placidus benevolæ mentis, cum in omnem Tui honorem, tum in dedicationem Operis huius consensus Cui unà Tecum Illustrissime Domine vitam suam post funera, Zalassovius noster totam reddidit cum voluntatem ultimam. His ergo de fontibus, nimirum & publici honoris, & omnium optimè faventium applausûs, & Nostræ Academicæ propensionis recto tramite ad Primam Principemq; Ecclesiarum procedit, animosa Potestas Capituli, & suæ gloriæ, Sagittam Tuam pro meta elegit: & in peripheria annuli Tui decurrere ad usum publicum ætates decrevit. Tibi verò Illustrissime & Reverendissime Domine hic vota nostra metam honoris non ponunt, sed signant plus ultra. Ita

Nomini Tuo & honori

devinctissimus

M. Ioannes Grymecki
Academiæ Posnan. Director.

Cum toto Collegio Lubransc:

VITÆ

Epiſcoporum Poſnanienſium.

EPiſcopatum Poſnanienſem MIECISLAUS Rex Polonorum erexit & fundavit. Dlugoſſus *Tomo 1mo lib: 2. fol: 92.*

I.

FUit JORDANUS natione Italus genere Nobilis ex Domo & Familia Urſinorum, à STEPHANO Papa VII ad Eccleſiam Poſnanienſem Anno Domini 996. pronuntiatus & inſtitutus. Qui ut gratioſior eſſet Diœceſi Poſnanienſi idem Pontifex STEPHANUS gladium S. PETRI, quo in abſcindenda auricula Malchi in horto montis oliveti uſus fuiſſe creditur, hunc, ſive alium per eundem tranſmiſit. qui quidem gladius in Eccleſia Cathedrali Poſnanienſi etiam nunc ſtudioſa veneratione colitur in Epiſcopatu triginta & uno annis ſedit. Poſnaniæ obijt, & in Eccleſia Cathedrali Poſnanienſi ſepultus eſt, licet alij in Brandeburgenſi Eccleſia ſepultum eſſe ſcribant.

II.

TIMOTHEUS à Summo Pontifice BENEDICTO VII. Anno Domini 1002. ſuffectus eſt natione Romanus, genere Nobilis, ſed virtute & doctrina nobilior, Vir

pudicus, continens, & exemplaris. Rexit Episcopatum decem & octo annis, morbo consumptus in Ecclesia Cathedrali sepultus est.

III.

HUic successit PAULINUS, Canonicus S. Petri in Urbe Romana ad instantiam BOLESLAI Poloniæ Regis à BONIFACIO Papa VII. substitutus & de mandato ejusdem Summi Pontificis Romæ consecratus Vir ex Familia Nobili Italica ortus Rexit Episcopatum & Diœcesim annis quindecem, obdormivit in Domino 1035. in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi sepultus est.

IV.

DVm Rex deerat & CASIMIRVS cum Rixa genitrice sua exulare coactus fuit, à Capitulo Posnaniensi Senatus Poloniæ frequenter interpellatus est, ut Nuntijs & literis Romanum Pontificem BENEDICTVM VIII. de surroganda Persona ad Ecclesiam Posnanien: sollicitaret. Summus itaq; Pontifex annuens votis, BENEDICTVM natione siculum Neapoli ortum Anno Domini 1037. ad eandem Ecclesiam promovit. Fulgebat in illo pudicitiæ bonum, hinc accedens ad Ecclesiam Posnaniensem à Clero & Populo honore processionis publicæ receptus est. Rexit Ecclesiam annis 11. Anno 1048. è vita subtractus est, & in Ecclesia Posnaniensi sepultus est.

V.

V.

MARCELLVS Apoſtolici Palatij Auditor inſignis Iurisperitus, natione Romanus, ex Familia Marcellorum ortus ad inſtantiam CASIMIRI Regis Poloniæ, ut provideret de idoneo Epiſcopo à JOANNE XX Summo Pontifice, anno Domini 1047. proviſus; decem & ſeptem annis in Epiſcopatu exactis, ſcabie confectus Anno Domini 1065. mortuus in Eccleſia Poſnanienſi ſepultus.

VI.

THEODORVS Canonicus S. Mariæ Majoris Iureconſultus natione Italus, Vir etſi non genere, virtute tamen Nobilis, à NICOLAO II Papa proviſus eſt Anno 1065. Rexit Eccleſiam annis viginti duobus, tandem Anno Domini 1087. vita exceſſit.

VII.

DIONISIVS Canonicus S. Petri Italus Græcæ linguæ peritus quamvis Capitulum favente BOLESLAO Monarcha Regni Poloniæ, unum ex ſe præfici expeteret, à Summo Pontifice VRBANO II. (ex quo jure ſuo diuturno & continuato uti volebat) proviſus eſt, vixit in Epiſcopatu ſpectatæ religionis & devotionis vir annis viginti duobus, in Eccleſia Poſnanien: ſepultus eſt.

VIII.

LAVRENTIVS Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Poſnanien: natione Polonus de humili ſtirpe procreatus aggreſtium virtute tamen & vitâ probâ Nobilis, à Capitu-

lo electus est. Quam electionem MARTINVS Archiepiscopus Gnesnensis ad sollicitationem BOLESLAI Monarchæ Poloniæ Anno Domini 1506. confirmavit, & in Ecclesia Gnesnensi consecratus. Rexit Episcopatum annis viginti & uno tandem senio confectus Anno Domini 1537. Sacramentis munitus, obdormivit in Domino, & sepultus in Ecclesia Cathedr: Posnaniensi.

IX.

MARTINVS, Decanus Posnan: Polonus, genere obscuro natus, concorditer à Capitulo Electus, quam Electionem Canonicam videns IACOBVS I. Archiepiscopus Gnesnen: post consensum BOLESLAI Monarchæ Poloniæ confirmavit & consecravit. Rexit Ecclesiam Posn: annis decem & novem, scabie confectus ultimum diem vitæ suæ clausit Anno Domini 1547. in Choro Ecclesiæ Cathedralis Posnanien: sepultus est.

X.

BOGVPHALVS natione Polonus, ex Familia Nobili Rosarum ortus, Custos Posnaniensis à Capitulo ex pluralitate votorum Electus, cui Electioni MIECISLAVS Poloniæ Princeps restitit, sed tandem à Capitulo & Sæcularibus precibus fatigatus consensum dedit. JACOBVS itaq; Archiepiscopus Gnesnensis hanc Electionem Anno Domini 1548. confirmavit, & electum consecravit. Hic cum annos duos & Menses sedisset in Episcopatu mortuus est, & in Ecclesia Cathedrali Posnaniansi sepultus.

XI.

PIANVS cùm Capitulares inter se discrepassent in eligẽdo Episcopo, ab EVGENIO Papa III. Auditor Palatij, Italus ex Familia Nobili ortus Episcopatui Posnaniensi præfectus est, à Cardinali Ostiensi consecratus in Poloniã venit, & possessionem Episcopatûs adeptus est BOLESLAO Poloniæ Monarcha ordinationem hanc magis ferente, quam approbante. Sedit annum unum & sex Menses, in Cathedra tandem rebus humanis Anno Dni 1551. exemptus in Ecclesia Cathedrali Posnan. sepultus est.

XII.

STEPHANVS Canonicus Posnanien: ex pluralitate à Capitulo Electus, Nobilis de Domo & Familia Agricolarum, vitæ pudicæ, & religiosæ, in quam Electionem MIECISLAVS Princeps Majoris Poloniæ consensit; IANISLAVS Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit, & in Ecclesia Calisiensi consecravit. Sedit in Cathedra annis 5. paralysi tactus, Anno 1556 obijt, in Ecclesia Posnan: Cathedrali sepultus.

XIII.

RADWANVS, Scholasticus Posnanien: de Domo Sreniawa, à Capitulo Electus, & accedente consensu MIECISLAI Principis Poloniæ, à JANISLAO Archiepiscopo Gnesnensi, Electionis suæ confirmatione obtenta, & ab eodem consecratus est. Vixit in Episcopatu annos octo,

mortuus Anno Dni 1562. in Ecclesia Cathedr. Posnanien: sepultus est.

XIV.

BERNARDVS Abbas sive Præpositus Trzemesnensis de Domo Sirokomla ortus, à Capitulo Electus, cujus Electionem MIECISLAVS Poloniæ Princeps approbavit, & JANISLAVS Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit & eundem consecravit. Vixit in Episcopatu annis tredecem, tandem ad quietem Monasticam rediit, ibiq; mortuus ad Ecclesiam Posnaniensem relatus, in eadem sepultus est, Anno Domini 1575.

XV.

SWANTOSLAVS, Præpositus Posnaniensis, Canonicus Gnesnensis, à Capitulo ex Familia Accipitrum, Electus à PETRO Archiepiscopo Gnesnensi, accedente consensu MIECISLAI Principis Poloniæ, confirmatus & consecratus, in Cathedra Posnaniensi uno Anno sedit, & mortuus anno 1576. in Ecclesia Cathedr: Posnan: sepultus est.

XVI.

GERVARDVS, Custos Posnanien: de stirpe Acervorū à Capitulo Electus, cuius Electionem PETRVS Archiepiscopus Gnesnensis, MIECISLAI Principis Poloniæ, accedente consensu confirmavit & Anno 1576 consecravit. Brevi tempore peste Epidemiæ correptus & consumptus in Ecclesia Posnan: sepultus est.

XVII.

ARNOLDVS, Canonicus Posnaniensis & Gnesnensis, ex Familia Dolanga progenitus à Capitulo Electus, quã Electionem PETRVS Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit, & in Ecclesia Gnesnensi eundem consecravit. Hic Episcopus Monasterio Lubens Ordinis Cistercien: Villam Cossentino ultra Kasimierz perpetuò contulit. In Cathedra Posnan: annis novem sedens à Dissenteria invasus, mortuus est Anno Domini 1586 in Ecclesia Cath: Posnan: sepultus est.

XVIII.

MROCHOTA, Custos Posnanien: ex Familia Corabitharum, à majori & seniori parte Capituli electus, accedente consensu MIECISLAI Principis Poloniæ à Zdzislao Archiepiscopo Gnesnensi confirmationem electionis suæ, & tandem consecrationem obtinuit. Sedit in Cathedra annis decem languore epidemiæ pressus, obijt Anno 1596 in Ecclesia Cath: Posn: sepultus est.

XIX.

PHILIPPVS, Canonicus Posnan: de Domo Wieniawa à Capitulo per viam scrutinij Electus, & à ZDZISLAO Archiepiscopo Gnesnensi consentiente MIECISLAO Principe Poloniæ confirmatus, & per eundem Archiepiscopum Gnesnensem consecratus. Vixit in Episcopatu annis tredecem, Anno Domini 1209. Obijt; in eadem Ecclesia sepultus est.

XX.

PAVLVS Ordinis Prædicatorum ſtemmatis Grzymuſiorum Electus, ab HENRICO Archiepiscopo Gnesnen: de consensu MIECISLAI Principis Poloniæ confirmatus & consecratus. Qui Borzyvovium Comitem de Szrem pro violentijs Eccleſiæ Posnanien: illatis excommunicavit, quē Borzywovius cum alijs Prælatis, Baronibus, & amicis pro componenda pace invitavit, & tandem captivavit, qui captivitatem evadens per universam Poloniam eundem excommunicavit, dum Borzyvovius censuras contemneret, & ſatisfacere recuſaret, captus in Szrem & occiſus eſt. Hic Episcopus rexit Eccleſiam annis 33. mortuus, in Eccleſia Cathedrali Posnan: Anno Dni 1242 ſepultus eſt.

XXI

BOGVPHALVS II. Cantor Posnanien: Canonicus Cracovienſis genere Nobilis de Domo Rosarum, electus à Capitulo, quàm Electionem FVLCO Archiepiſcopus Gneſnenſis. confirmavit, & eundem in Eccleſia Gnesnenſi consecravit Sedit in Episcopatu annis decem, Menſibus ſex, diebus 15. Vir literatus, pulchram Bibliothecam Capitulo reliquit, novum chorum in Eccleſia Cathedrali Posnanienſi à fundamentis extruxit, Villam Kozłowo pro Eccleſia Posnanienſi emit. Tandem Anno Domini 1253. in Villa Episcopali Solecz vitam finivit, in Eccleſia Poſnanienſi ſepultus eſt.

XXII.

PETRVS I Decanus Posnanienſis, Vir Religioſus, devotus, & pius, genere Nobilis de Familia Prawditarũ, per viam Compromiſſi concorditer electus. Et quia Sedes Apoſtolica prohibuerat, ne præſente HVGONE Cardinali & Legato Apoſtolico Archiepiscopus Gnesnenſis, Electionem Epiſcoporum confirmaret, miſſi ſunt aliquot Canonici ad prænominatum HVGONEM cum poſtulatione, ut dictam prohibitionem dignaretur relaxare quod & præſtitit, ſed Ioannes Archidiaconus, & Theophilus Canonicus, Posnanienſis, confirmationem electionis, ob contemptum de ſe factum apud FVLCONEM Archiepiscopum Gneſnen: impediverunt. Quâ discordiâ auditâ, Oppizo Nuntius Apoſtolicus impedientes Vratislaviam accerſivit, & in unionem fraternam reduxit. Petriq; electionem uti Canonicam authoritate Apoſtolicâ confirmavit. Petrus autem à FVLCONE Archiepiscopo Gneſnenſi in dicta Villa Kozłowo conſecrationis munus obtinuit. Vixit in Epiſcopatu uno anno, Menſibus duobus, paralyſi tactus, Anno Dni 1254 ultimum vitæ ſuæ diem clauſit, ſepultus in Cathedr Poſnan.

XXIII.

BOGVPHALUS III. Præpoſitus Gneſnenſis, Canonicus Poſnanien: Nobilis de Domo Roſa, per viam Compro-

missi concorditer electus est, & per FVLCONEM Archiepiscopum Gnesnensem confirmatâ electione, ab eodem consecratus est. Vixit in Episcopatu annis 10. non carens vitijs, Anno Domini 1264. in Villa Czyrmna desijt vivere in Cathedrali Ecclesia sepultus.

XXIV.

PHALANTA Decanus Gnesnensis ob fervidam postulationem BOLESLAI Ducis Majoris Poloniæ, & ejus Vxoris à JANVSSIO Archiepiscopo Gnesnensi (ex quo Petrus Præpositus Posnanien: à Capitulo per viam scrutinij in Episcopum electus, persuasionibus, & consilijs Ducis & Archiepiscopi, inductus de jure electionis suæ cessit, & eodem renuntiavit) non obstantibus appellationibus Capituli ad Sedem Apostolicam confirmationem nominationis suæ & consequenter consecrationem obtinuit. sed brevisculo tempore per CLEMENTEM IV. Papam à Sede Episcopali amotus est.

XXV.

NICOLAVS Professor in Academia & Scholasticus Cracoviensis natione Polonus genere Nobilis de Domo & familia Vulpium de Ecclesia Posnaniensi à CLEMENTE IV Papa provisus, & apud Viterbium, ex mandato Papæ cõsecrat9 est: nam cum alijs Nuntijs negotiũ Canonizationis Beatæ Hedvigis Ducissæ Vratislaviensis tunc Romæ gessit.

fit. Sedit annos novem, Anno Domini 1273. fatis cessit in Cathedrali Posnaniensi sepultus est.

XXVI.

JOANNES I. Dictus Wyskowiecz Canonicus Posnaniensis genere Nobilis de familia Łodziarum virtutibus & meritis clarus & probitate vitæ conspicuus à Capitulo electus, accedente favore & consensu BOLESLAI Calissien: & Præmislai Posnanien: Principum à GREGORIO X Papa, propter diuturnam vacationem Archiepiscopatûs Gnesnen: Electio hæc fuit confirmata; ab Archiepiscopo Gnesn: PHILIPPO consecratus. Rexit Ecclesiam annis prope undecim Anno Domini 1286. desijt vivere in Cathedra sua sepultus est.

XXVII.

JOANNES dictus Herbuth genere Nobilis de Familia Nałencitarum Canonicus Posnanien à Capitulo per viam scrutinij Electus, cujus Electionem JACOBUS Swinka Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit, & in Ecclesia Landensi Ordinis Cistercicnsis in Episcopum consecravit. Sedit in Ecclesia annis 12. Anno Domini 1298 obdormivit, in Cathedra Posnanien: sepultus, sub Episcopatu illius Præpositura Santhocensis cum proventibus à collatione & provisione Episcopi Posnan: abstracta est, & per Ottonem longum, ac alium Ottonem, ac Ioannem Nepotem co-

rum Marchiones Brandeburgen: Capitulo Ecclesiæ Soldinensi applicata. Cuius Præpositus in Clero & Populo, & in singulis Ecclesijs infra Oderam, Inam, Dravam, Vartham, & Notes fluvios constitutis, ordinariâ Iurisdictione utebatur

XXVIII.

ANDREAS Primus genere Nobilis de Familia Zarambow appellatus Symowicz ex Patre Simone genitus, per IACOBUM Swinkam Archiepiscopum Gnesnen: confirmatus, & in Posnaniensi consecratus Ecclesia. Hic Vladislaum Łokcek Cuiaviensem Ducem, & in Regem Poloniæ Electum pro eo, quod in Majori Polonia manens, matronarum & Virginum pudicitiam per se & milites suos prostituebat & Ecclesijs esset onerosus, excommunicavit. Hic etiam ad reuniendam Præposituram Santocensem ablatam maximo studio desudavit Romæ, sedit Annis 14.

XXIX.

DOMARATVS aliàs Domanka Decanus Posnaniansis genere Nobilis, de stirpe Grzymalitarum à Capitulo electus, & accedente consensu VLADISLAI Poloniæ Regis, JANISLAUS Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit ejusmodi Electionem, & in Episcopum consecravit. Sedit novem annis, decessit Anno Domini 1320. & in Ecclesia Posnan: sepultus est.

XXX.

JOANNES III dictus Doliva, Præpositus Posnan: genere Nobilis, ex Familia Doliva à Capitulo paucis discrepātibus Electus. Huius electionem JANISLAUS Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit, & ipsum in Episcopum Posnaniensem consecravit. Hic Episcopus factus plusquàm sat erat, in familiam & alias expensas minùs necessarias faciens ære alieno se involuerat, in Provisione egenorum, viduarum orphanorum, cæterarumq; miserabilium personarum negligentem se exhibuit. Rexit Episcopatum quindecem annis, tandem Anno Domini 1335. mortuus in Sponsa sua sepultus est.

XXXI.

JOANNES IV. de Kampa genere Nobilis, de Domo od[illegible]ia à Capitulo Electus, sedit annis vndecem, tandem Anno Domini 1346. mortuus in Cathedrali sua Ecclesia sepultus est. Qui etsi pro tempore, hilaritati & lubricitati operam dedit singulariter tamen, Virgini Mariæ famulabatur, in ejusq; honorem certas Prosas compilavit.

XXXII.

ALBERTVS I. dictus Pałuka, Præpositus Vladislaviensis & Canonicus Posnaniensis, natione Polonus genere Nobilis ex familia Bipennium, circa electionem suam plures instantias, & impedimenta passus, confirmationem

tamen

tamen suæ electionis, & deinceps consecrationem post biennium obtinuit. Vixit in Episcopatu annis 7. in Villa Solecz Anno Domini 1355. mortuus, in Cathedrali sua sepultus est.

XXXIII:

JOANNES V. Præpositus Posnaniensis genere Nobilis de Domo Doliwa à Capitulo Electus. Qui à IAROSLAO Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & consecratus, anno vigesimo primo, in Villa Otbicowo, Anno Domini 1374. hidropisi consumptus; in Ecclesia Cathedrali sepultus est. Hic Decimas manipulares in Ducatu Masoviæ, quas Semovitus Dux Masoviæ prætendebat per mediationem CASIMIRI Regis Poloniæ, & sententiam definitivam recuperavit.

XXXIV.

NICOLAVS de Kurnik Præpositus Sanctæ Mariæ Cracovien: Canonicus Posnanien: genere Nobilis, de familia Lodzia, licet discrepantibus votis electus, qui ad Curiam Romanam Avinioni tunc constitutam discedens non obstantibus LVDOVICI Regis Poloniæ, JOANNIS Archiepiscopi Gnesnen & Cracovien: Episcopi reclamationibus & impedimentis literaliter productis, à GREGORIO Papa XI. obtinuit confirmationem, illicq; consecratus est Hic nullâ re memorabili editâ, sed voluptati deditus,

ditus, multis infirmitatibus & languoribus confectus in Villa Ciazyn, Anno Domini 1382 mortuus in Ecclesia Posnaniensi sepultus.

XXXV.

NICOLAUS III. de Kurnik Cantor Gnesnensis, Scholasticus Posnan: genere Nobilis de Domo Nałęciorum virtuosus, modestus in pauperes liberalis, à Capitulo Electus, cujus electionem JOANNES Suchywilk Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit, Et licet esset Vir virtuosus & canonicè electus, livore Ambitiosorum & Regis LVDOVICI, ex quo non petito suo consensu confirmationem electionis obtinuit, ex Episcopatu ab VRBANO Papa VI detrusus est.

XXXVI

JOANNES VI Kropidło dictus, de quo in vitis Archiepiscoporum Gnesnensium latius

XXXVII.

DOBROGOSTIVS I. dictus Wydrzyoko, dictus sic ob rubedinem oculorum, genere Nobilis de Familia Nałęcz, Canonicus Posnanien: V. I. Doctor Padvanus ab VRBANO VI Papa ad Episcopatum Posnan: suffultus est, & eundem Episcopatum per annos undecem rexit, tandem ad instantiam VLADISLAI II. Regis Poloniæ, per

BONI-

BONIFACIVM IX. Papam, ad Metropolitanam Gnesnen: translatus est.

XXXVIII

NICOLAVS IV dictus Kurowski, de quo in Vitis Archiepiscoporum Gnesnensium, & Episceporum Vladislavien:

XXXIX.

ALBERTVS II. dictus Jastrzębiecz, Scholasticus Cracoviensis, ex familia Iastrzeboviorum, ad instantiam præmominati VLADISLAI II. à BONIFACIO X. Papa, provisus, Vir in consangvineis promovendis, cupidus Episcopus factus Ecclesiam in Villa Baszovia, in qua prima rudimenta imbuit ex lignea latericiam fecit, & picturis ornavit, tandem ex Parochiali conventualem Patrum Beati Pauli Primi Eremitæ fecit, Collegium Mansionariorum in Cathedrali Posnan: instituit & dotavit. Et cum sedisset in Cathedra Posnaniensi annis 14. VLADISLAO Rege promovente ad Cracoviensem insimulato, quòd WYSZ Episcopus Cracoviensis Vir aliàs bonus & simplex in amentiam & delirium cecidisset, à JOANNE XXIII. Papa schismate durante translatus est.

XL.

PETRUS II dictus Wysz, qui in Ecclesia Cracoviensi annis 20. cum pietate & religione sederat, Vir genere No-

re Nobilis ex Domo Lescitarum pro insigni Acervum in campo rubeo defferentium V.I D. in pauperes & egenos munificus, dolo & ambitione ab Alberto Iastrzembicio de Episcopatu Cracoviensi submotus, & à JOANNE XXIII. Papa ad Episcopatum Posnaniensem translatus, vix duobus annis in eodem Episcopatu vixit, in Villa Episcopali Ciazyn, Anno Domini 1414. Sacramentis munitus, dejectorem Iastrzembicium ad Iudicium Divinum vocando, obijt in Ecclesia Cathedrali Posnan: sepulturam accepit.

XLI.

ANDREAS II Laskarz. de Golaiewice in præsentia VLADISLAI Regis Poloniæ absens electus est genere Nobilis de Familia Godzambitarum, Vir simplex & pudicus & exemplaris, raræ insuper religionis in DEVM pietatis singularis in pauperes, à MARTINO V. Papa, electio ejus confirmata; Relicto Episcopatu Monasticam vitam apud Monasterium Austriæ Mellicum agere decreverat, nominatis Successoribus certis ad Episcopatum. Sed cum nec MARTINVS V. Papa resignationem neq; Successores nominatos VLADISLAUS Poloniæ Rex acceptaverit, in paterno Castro Goslavice, quod Episcopus existens latere muraverat Anno Domini 1426. Episcopatus sui anno 15. & sex Mensibus Ecclesiasticis Sacramentis munitus, obdormivit in Domino & in Cathedr: Posnan: sepultus est.

XLII.

MIROSLAUS Præpositus Gnesnensis, Canonicus Posnanien: de Domo Nałęcz, V.I.D. à MARTINO V. Papa provisus, & mandato ejusdem Summi Pontificis cōsecratus est, possessionem tamen Episcopatûs non adijt, obstante VLADISLAO Poloniæ Rege, qui STANISLAVM Ciołek Cantorem Cracovien Regni Poloniæ Cancellarium promovebat, & Capitulum cedendo furori Regio elegerat. Durante contentione inter Papam & Regem MIROSLAUS Romæ Anno Domini 1427, mortuus in Ecclesia Sanctæ Mariæ dictæ de Populo in parte dextra Altaris majoris sepultus est

XLIII

STANISLAUS dictus Ciołek, genere Nobilis de Familia Taurorum seu Ciołkorum, pòeticà arte naturaliter pollens, ob eamq; ad Vicecancellariatum Regni assumptus à MARTINO V, Papa, ad instantiam VLADISLAI Regis Poloniæ in Civitate Korczyn, in Episcopum consecratus. Concilio Basiliensi interfuit, exequias VLADISLAO II. Regi Poloniæ sumptibus proprijs celebravit. Abraham de Sbąszyn Iudicem Posnaniensem fautorem hæresium excommunicavit. ob idq́, multas adversitates & insidias ab eodem Iudice passus, sedit in Episcopatu annis decem, Mensibus sex, Anno Domini 1438.

Posna-

Posnaniæ mortuus & ibidem in Ecclesia Cathedrali sepultus, multos insignes libros & clenodia nobilia Ecclesiæ huic reliquit.

XLIV.

ANDREAS III. de Bnin dictus Bninski Nobilis de Armis Łodzia, Secretarius, Canonicus Posnanien: à maiori parte Capituli electus, ejus electionem EUGENIUS IV. Papa confirmavit, VINCENTIVS Archiepiscopus Gnesnensis consecravit. Extruxit in Crobia castrum ex coctis lateribus, Ecclesiam Collegiatam Sanctæ Mariæ in Summo Posnaniensi. Item in Oppido Dolsko, in Crobia, in Kozłow, in Zbikow, in Szmigel Oppido suo patrimoniali,& Curiam Episcopalẽ Posnanæ. Fuit vitæ pudicæ, in Clericos impudicos suæ Diœcesis, rigidus, in pauperes munificus, Virginibus dotes, Viduis & calamitate oppressis pecuniarum solatia clandestine præbens. Ecclesiæ Cathedrali duos calices aureos suppellectilemq; pretiosam donavit, singulis annis Episcopatûs sui calicem argenteũ parans & illo usus alicui pauperi Ecclesiæ donabat. Iniuriam Fidei & Prædecessoris sui, ab Abrahamo Sbąski Iudice Posnaniensi de Armis Nałęcz, illatam auxilio Petri & Alberti Nepotum suorũ vindicavit & compescuit. Oppidum Zbąszyn, in quo septem Presbyteri Diœcesis suæ errores hæreticos prædicabant, comitante Petro Castellano Gnesnensi, Patruo suo germano, cum nongentis ar-

matorum equitibus obsedit, nec priùs obſidionē ſolvit, donec duobus illis Sacerdotibus per fugam elapſis, quinque reſidui præsentati illi fuerint: quos Posnaniam deductos, & de hæreſi convictos, igni publico damnavit. In conſanguineos tamen ſuos propenſior, quàm Episcopo congruebat, fuit. Vixit octoginta duobus annis; triginta octo, & menſibus ſex, Eccleſiam rexit. Moribundus admonuit Canonicos, ut inter ſe charitatem ſervarent, ſcandala vitarent, ſtatuta, quæ jurarunt, observare tenerent; & Succeſſorem omni humano & Regis timore depoſito in locum ſui quam optimum eligerent, munitus Sacramentis, teſtamento condito in Domo Domini Cuſtodis Ecclſiæ Cathedralis Posnanienſis circa eandem Eccleſiam ſita Anno Domini 1479 obdormivit in Domino; & in Capella S. Andreæ, quam ab alijs fabricatam in honorem iſtius Sancti consecravit, & de Mensa Episcopali dotavit, honorifice in ſepulchro, quod ſibi vivens paraverat, ſepultus.

XLV.

URIEL Comes à Gorka Præpoſitus Gnesnenſis & Posnanienſis, Canonicus Cracovienſis, de Familia Navium, in præsentia IACOBI Archiepiscopi Gnesnenſis, ab Vrielel & à toto Capitulo Posnanien: quo per præsentiam ſuam diviſiones factioſæ nomine Regio factæ in Electione evitarentur invitati, concordibus vocibus electus

à SIXTO IV. Papa confirmationem obtinuit; à IACOBO autem Archiepiscopo Gnesnen: in Ecclesia Posnaniensi consecratus. In consanguineos suos paulò profusus. Anno Domini 1498. Episcopatus decimo nono, in Oppido dicto Vari, Provinciæ Pragensis, ultimum vitæ diem clausit. Cujus corpus inde allatum in Ecclesia Cathedrali Posnanien sepultum.

XLVI.

JOANNES VII dictus Lubranski Decretorum Doctor, genere Nobilis, de Familia Godziembitarum, ex Plocensi ad Posnanien: translatus. In pauperes & egenos Scholares præsertim liberalissimus ab omni fastu & elatione alienus, Cathedralis Ecclesiæ Posnanien: ambitum, curijs Canonicorum & ædibus Vicariorum inclusis muro cinxit, ipsam Ecclesiam laminis cupreis texit, supellectili Ecclesiasticâ auro, gemmis & lapidibus pretiosis exornatâ locupletavit. Academicum Collegium Posnaniæ extruxit & dotavit Templum Divo Stanislao cum adiuncto S. Gertrudis hospitali, ubi nunc Patres Societatis Iesu Collegiũ habent, ædificavit. Jn Oppido Casimiriensi in memoriam S. Ioannis, qui unus erat è quinque Fratribus Martyribus Polonis Ecclesiam & Monasterium construxit, & multa alia præclara fecit. Ætate & laboribus pro Ecclesia & Remqlica confectus, in Oppido suo Episcopali Buk Anno Do. 1520 ipun. placidè in Domino obdormivit, cujus corpus

ad spon-

ad ſponsam ſuam allatum in monumento marmoreo, quod Reverendiſſimus Petrus Tomicki, Succeſſor in Episcopatu extruxit conditum jacet.

XLVII.

PETRVS Tomicki ex Nobili Familia Navium, Vice-cancellarius Regni ex Episcopatu Præmislienſi ad Poſnanien: translatus, inde ad Cracoviensem Elegantiorum ingeniorum cultor & fautor ipse eruditione prudentià, & vitæ integritate conspicuus, & ideo Regibus Poloniæ charus in ſede Cracovienſi vitam finivit:

XLVIII.

JOANNES VIII. dictus Latalski gente Prawditarum ex antiqua familia quæ Comitum de Łabiszyno titulum sumpſit Secretarius Regius, Reginæ Eliſabethæ Cancellarius factus, uno eodemq; tempore Gnesnenſis Cracovien Posnanien: & Lancicen: Præpoſitus fuit, tandem Episcopatum Posnaniensem adeptus, Andrea Cricio Poëta excellenti, & Viro erudito ægre ferente quod ipſi prælatus fuerit, ſedit annis decem, poſtea Reginâ Bonâ promovente (cujus nutu ac renutu, tunc plerumq; Nominationes Regiæ peragebantur) ad Episcopatum Cracovienſem, tandem ad Archiep: Gneshensem translatus eſt.

XLIX.

JOANNES IX. de Ducibus Lithuaniæ, SIGISMVNDO

I. Po-

I. Poloniæ Rege procurante, Episcopus Posnanienfis defignatus eft, poffeffionemq; adijt, fed nondum expleto anno integro diem claufit ultimum, Anno Domini 1538. pietate erga Deum fingulari, & virtutibus Episcopo dignis conspicuus.

L.

STANISLAVS II. Olesnicki, à Capitulo electus, à IACOBO Episcopo Płocenfi in Episcopatum Posnan: confecratus, vix uno anno fedit in illo, febribus continuis exhauftus, Anno Domini 1539. Sacramentis munitus in Domino obdormivit, magno de fe apud omnes defiderio relicto: nam erat Vir doctrinâ, prudentiâ, magnanimitate integritateq; infignis in Cathedr: Posnan: fepultus.

LI.

SEBASTIANUS Branicki, ex Nobili Familia Korczakorum ad nominationem Regiæ Majeftatis Anno Domini 1539. ex Episcopatu Chełmenfi ad Posnaniensem poftulatus, & translatus, Vir non minus pietate & vitæ integritate, quàm eruditione & Iuris Civilis & Ecclefiaftici fcientiâ clarus, de Patria & Republica optimè meritus. Quatuor annis adminiftravit Ecclefiam Posnanienfem, podagræ morbo exhauftus in Oppido Łaskarzewo, Anno D. 1544. maximo cum dolore omnium, præsertim pauperū, oppreffōrum, & juftitiæ egentium, quorum Defenforem

fem

ſemper ſe præbebat acerrimum liberalem & invictum, vitā finivit, in Eccleſiam Cathedr: Posnaniensem delatus, in Sacello Manſionariorum humatus, in pace quiescit.

LII.

PAVLVS Wolſki Dunin, ex Nobili & pervetuſta Duninorum Familia, Cancellarius Regni Poloniæ, Capitaneus Goſtinenſis, mortua Vxore ad Episcopalem dignitatem Regijs auspicijs pervenit, ad nominationemq́ Regiæ Majeſtatis à Capitulo electus, Literis ſuæ proviſionis ex Vrbe Romana allatis, Ordinibusq; ſacris ſusceptis, & consecratione peracta, Anno Domini 1545 ex Oppido Srodenſi ingreſſus eſt ad Sponsam ſuam, Vir mediocris eruditionis vitæ bonitate ſingulari præditus. Vix uno anno Eccleſiā rexit, varijs infirmitatibus per triginta fere continuas hebdomadas fractus, in Palatio Episcopali, Sacramentis munitus, Anno Domini 1546 deceſſit, ſepultus juxta murū in capite ſepulchri olim Ioannis Lubranſki.

LIII.

BENEDICTVS Isdbenski Nobilis de Familia Rosarum Cantor Cracovien: Cancellarius Gnesnen: Posnanien: ad Nominationem Regiam capitulariter in Episcopum electus,, vitæ integritate, prudentiâ & tuendæ Catholicæ veritatis zelo ſingulari enituit, hæreticorum conatibus in Di-

in Diœcesi sua tam ipsâ authoritate, quàm innocentia morumq; gravitate obstitit. Rexit Ecclesiam septem annis, Anno Domini 1553. febri acutà victus, antequam de rebus disponere posset in Ciązimensi Curia è vivis sublatus, in Ecclesia Cathedrali Posnan: in Capella Mansionariorum sepultus.

LIV.

ANDREAS Czarnkowski, Scholasticus Cracoviensis stemmatis Nałęcz, primæ ætatis tyrocinia Patavij & Bononiæ una cum Stanislao Hosio consumpsit eloquentiæ, cæterisq; scientijs operam dans. Patriam reversus post multa servitia Reipub: impensa ad varios Principes & Monarchas legatus missus ad nominationem Regiam à Capitulo in Episcopum Posnanien: electus ex Arce Kurnicensi possessionem Cathedræ suæ adijt Anno Domini 1553. Hæresim, quæ Synagogas per ædes Nobilium privatas aperiebantur, quantum per temporis iniquitatem licuit, oppugnavit. Ex Academia Cracovien: Benedictum Herbestum insigni pietate, & eruditum virum (qui Canonicatu Posnaniensi auctus Societatis Iesu, postea nomē dedit.) & Gregorium Samboritanum, Professores amplis stipendijs Posnaniam evocavit: Qui adjunctis sibi egregijs nonnullis viris in Collegio Lubransciano plane jam desolato juventutem literis honestis & pietate simul imbuerent, quod non infeliciter cessit illi, nam non pauci ex

Nobilitate Herbesti diligentiâ, ad unitatem Ecclesiæ sunt reversi. Tandem hydropisi & febri hecticâ consumptus in Oppido suo hereditario Czarnkow, rebus omnibus bene dispositis Anno Domini 1562. à suscepto Episcopatu anno nono, in Domino obdormivit. In Ecclesia Cathedrali Posnaniensi in sacello Cortzbotorum, quod est juxta meridionalem partem positum sepultus est.

LV.

ADAMUS de Kobelino Konarski, ad nominationem SIGISMVNDI AVGVSTI Regis Poloniæ, Anno Domini 1562. à Capitulo absens electus est, ex Nobili & vetusta Habdankorum gente oriundus, post peractas legationes ad PAVLVM III. & PIVM IV. Summos Pontifices, & ad PHILIPPVM Hispaniarũ Regem, respectu Bonorum mobilium, post obitum Bonæ Sphorciæ Reginæ Poloniæ Matris SIGISMVNDI in Regno Neapolitano relictorum, accepto de sua Electione ad Episcopatum Posnaniensem, eam auctoritate Summi Pontificis confirmari obtinuit, ibidem in Urbe Romana ordinatus & consecratus est. Rebus feliciter apud Philippum Hispaniarum confectis in Poloniam redijt, & in Comitijs generalibus binis Legationis suæ summam SIGISMVNDO AVGVSTO Regi Poloniæ & Reipub: exposuit. His curis elibe ratus, in Ciązyn paululum ægro corpori consulvit, tan-

dem

dem ex Villa Głuſzyno Episcopali Anno Domini 1573. ſponsam adijt. Patre ſuo ſene Palatino apud Eccleſiam Divæ Barbaræ occurrente, & in amplexus ejus ruente Episcopatum aſſecutus, magis amari quàm timeri à ſubjectis ſibi exoptavit Hoſium Cardinalem ſingulari veneratione prosecutus eſt, & ad ſalutandum eum paucis comitatus habitu incognito in Pruſſiam excurrit, ut Collegiū Societatis Ieſu ab eodem Bronsbergæ fundatum perluſtraret, ad cujus exemplar ijsdem Patribus Collegium ad Eccleſiam S. Stanislai Posnaniæ excitavit, & ex Villis à mensa Episcopali, (non ſine proteſtatione quorundam Capitularium) avulſis dotavit. Poſt mortem Sigismundi Auguſti Regis ad Henricum Valeſium in Regem Poloniæ electum cum alijs Magnatibus duodecem miſſus, eundem Henricum in Poloniam adventantem in Oppido ſuo Episcopali Buk, deinde Posnaniæ ſplendidè excepit. Tandem hisce legationibus præsertim Gallicâ fractus. Etſi poſt disceſſum Henrici in Galliam consulere Patriæ & Reipub: contendebat, vi morbi ſæviente ex medio itinere ad Convocationem generalem Ciazynium in lecto comportatus, ob defectum caloris naturalis animam. DEO reddidit Anno Domini 1574. Episcopatûs ſui 13. Corpus Posnaniam delatum in Eccleſia Cathedrali in Capella Groditiorum honorificè marmoreo tumulo conditum eſt. Fuit Senator optimus, Reipub: amantiſſimus, pius,

probus, constans, integer, doctus, mansuetus, alijsq; virtutibus apprime excultus.

LVI.

LVCAS à Koscielec Koscielecki, è Stemmate Ogonczyk seu Kowala quod est dimidium sagittæ aureæ in dimidio annuli positæ super coronam duæ manus Virginis sursum elevatæ; ad nominationem STEPHANI Regis Poloniæ, ex Præmisliensi ad Posnaniensem Anno Domini 1577 translatus & postulatus, per plenipotentem Episcopatus possessionem adijt. Inito Episcopatu libros erroribus hæreticis refertos Posnaniæ typis excusos publico igne comburi jussit, typosq; abstulit. Palatium Gorcanum non procul ab Ecclesia Parochiali & Collegiata Divæ Mariæ Magdalenæ in Civitate Posnaniensi positum, ne hæretici emerent, & Synagogam suam ibidem constituerent auctoritate suâ impedivit. His peractis Anno Domini 1597. Posnaniæ spiritum exhalavit Episcopatûs 20 anno. Fuit sinceritate, liberalitate, ac insignibus Senatorijs virtutibus pariter apud omnes probatissimus.

LVII.

JOANNES X. Tarnowski ex Gente antiquissima Rolitarum ortus. Propter eximias animi dotes, & doctrinã in Italia comparatam STEPHANO & SIGISMVNDO III. Regibus Poloniæ gratus, Cancellariæ Regalis Regens,

Regni

Regni Referendarius & Procancellarius, ad Episcopatum Posnaniensem Anno Domini 1597. erectus, eundemq; adeptus est. Ecclesiam Cathedralem multis in locis restauravit. Palatium Episcopale vetustate consumptum ædificijs auxit. Ex Posnaniensi ad Vladislaviensem, tandem ad Metropolitanam Ecclesias translatus est, de quo plura in vitis Archiepiscoporum Gnesnensium videre licet.

LVIII

LAVRENTIVS II. Goslicki, genere Grimalitarum, Territorij Plocensis, Vir pietate singulari, ingenio præstanti, consilio excellenti candido aperto & animoso, Reipub: & communis, ac præsertim Ecclesiasticæ libertatis amantissimus, Eloquentiâ rara, qui scientiarum insignibus publicè decoratus, quàm etiam libris publicis testatus est, editis, stylo de Officio optimi Senatoris. Et quem Senatorem (stylo desctipsit, moribus ad vivum expressit, & vigilantissimum Pastorem se exhibuit. Hinc ab aliquot Serenissimis Poloniæ Regibus, in pretio & honore habitus; Post multa varia & eximia in Rempub: merita & complures in gravissimis & difficillimis Regni negotijs, pari fide & felicitate obitas, dictas legationes. Primo Camenecensi, paulò post Chełmen: Ecclesijs utiliter Episcopus præfuit; deinde ad Ecclesiam Præmisliensem promotus, simul claræ tumbæ Monasterium laudabiliter administravit. Postremò Ecclesiæ Posnanien Anno Domini 1601. fa-

ctus

ctus Episcopus, cùm eam feliciter annis sex, mensibus circiter quatuor rexisset; demùm designato & adscito sibi legitimè Coadiutore & Successore, septuagenario major; vivida senectute gangrænâ nervorum tactus in pede dextro, sensim occupante, ad extrema deductus, animã DEO religiosè commendavit, & piè plenus spei Ciazynij Anno Domini 1607. ultima Mensis Octobris reddidit.

LIX.

ANDREAS de Bnin Opalinski, Patre Matthiâ Marschalco Regni genitus, Anno Domini 1602. ad Episcopatum Posnaniensem assumptus. Romanæ Curiæ, jam antea moribus Senatore dignis probatus & laudatus, tres Episcopatûs ante obivit, Legationes plures, utpote ad Ferdinandum Archiducem, Græcium, ad Rudolphum Imperatorem Romanorum Pragam in causa Moldaviæ, & Transylvaniæ, quam Michaël Palatinus turbaverat. Ad PAVLVM V. Summum Pontificem Romam in causa dispensationis in matrimonio contrahendo cum Constantia Regina, missus summa cum dignitate & laude expedivit. Fertur quòd hic Primus procuraverit, ut Stanislaus Kostka in album Beatorum referretur. Erat Episcopus ingentis zeli, mortem ejus Basilicæ Cathedralis Posnaniensis conflagratio præcessit. cui Elogium tale Perillustris ac Reverendus Dominus Albertus Pigłowski scripsit.

Andreas Opalinski Episcopus Posnaniensis
Marschalco Patre Na-

Natus, ad Pastoricium pedum,
Magnorum Parentum filijs,
Tutò majora committi posse, probavit.
Quanquam
Etsi Avorum gloria caruisset
Dignus erat, qui magna virtute summa quævis
mereretur
Ecclesiam cum moderandam accepit,
Primum tueri voluit quàm tenere,
Æquè benevolus suis, ac novatoribus acris.
Vbi Posnaniæ hæresim crescere vidit, Primus
Vigilantem per omnia Pastorem se expressit.

sedit in Episcopatu annis novemdecem vel (ut alij) viginti uno obijt.

LX.

JOANNES XI. Wężyk, ex Familia quæ habet pro stemmate serpentem coronatum, pomum aureum tenentem oriundus; Ex Præmisliensi Episcopatu ad Posnaniensem translatus Sedit in eodem Episcopatu Posnan: tribus annis, postea ad Archiepiscopatum Gnesnensem assumptus est; Quâ dignitate Archiepiscopali ornatus, VLADISLAVM IV. in Regem Poloniarum coronavit. Fuit omnium virtutum Idea & exemplar, Ordinavit solos Episcopos decem; Presbyteros supra quatuor millia, Pacem inter Gustavum Suecum, & Polonos composuit. Ante mor-

te mortem omnem pecuniam in Ecclesias varias distribuit. Ecclesiæ Grabovienſi, in qua è ſacro fonte levatus est quindecim millia legavit. Lovicenſi verò Ecclesiæ in qua quieſcit triginta millia. Morti proximus hæc ad imaginem Crucifixi verba protulit: Laus Tibi Christe patiens, & in cruce pendens pro ſervis. Vbi advertit Sacerdotem properantem ad Sacrificium exclamavit: tollite me, tollite me ad Dominũ meum. Moriens Canonico, ut per abſolutionem generalem pro peccatis, ter nomen Ieſu proferret; reſpondit: Amantiſſime Pater, non ter, ſed millies millies. atq; ita in repetitione frequenti huius ſalutaris Nominis vitam ſanctè finivit. Plura vide in vitis Archiepiscoporum Gnesnenſium in vita illius

LXI.

MATTHIAS Lubieński ex EpiſcopatuChełmēſi, Epiſcop9 & ſanctitate & morũ candore incomparabilis. Hoc in eo fuit mirabile quod quatuor Cathedras Epiſcopales virtutibus implevit, hoc est: Chełmenſem, Posnanienſem, & cum ſediſſet in Poſnanienſi annis quatuor, ad Vladislavienſem translatus, tandem ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem evectus eſt. Reſtauravit magno ſumptu Monaſterium Miechovienſe, cui Abbas præfuit. In omnibus Cathedris ſingulari ſtudio cũltum Divinum promovit, & pias fundationes fecit. Vt videre eſt in vitis Archiepiſcoporũ Gneſnenſium.

LXII.

LXII.

ADAMVS Nowodworſki ex antiqua Ducum Máſoviæ de Nowodwor Proſapia ſtemmatis Nałęcz, vitæ integritate, prudentiâ & dexteritate inſignis, multis in Aula Sereniſſimi SIGISMVNDI III. Regis Poloniarum pro Republica & Sacra Regia Majeſtate exantlatis laboribus, Antiſtes & Senator factus, Eccleſijs & Diœceſibus. Primò Camenecenſi, poſt Præmislienſi tandem Posnanienſi Paſtor vigilantiſſimus, immunitatum Eccleſiæ Defenſor acerrimus præfuit. Eminuit in illo ſingularis in omnes candor, Benevolentia in ſuos, in Deiparam Virginem rara & mira pietas. Agnoverunt ſuum munificum largitorem, ut priores ſponſæ, ita & Posnanienſis, quam ſupellectili ſacrâ adauxit. Jn capella in qua quieſcit Collegium Manſionarium fundavit & dotavit. Collegium quoq; Patribus Societatis Ieſu Lubzenſe erexit & fundavit. Rexit Epiſcopatum Posnanienſem annis quatuor. Tandem in Villa Epiſcopali Winnagora dicta hydropiſi multum diuq; conflictatus obijt Anno Domini 1634. die 20. Menſis Auguſti. Ætatis ſuæ ſexageſimo.

LXIII.

HENRICVS z Dambrowice Firley, ex antiquiſſima & Nobiliſſima Firlejorum familia, cujus ſtemma eſt: Leopardus coronatus. Fuit Referendarius Regni, Abbas Tynecenſis, poſtea Epiſcopus Præmislienſis, ad Posnanienſem

 Cathe-

Cathedram translatus, & non adepta possessione illius intra spatium aliquot mensium fatis cessit. Ejus virtutem, Serenissimus SIGISMVNDVS III. Rex Poloniarum, scribens ad Cardinalem Barberinum his verbis commendavit. Nominavimus ad Ecclesiam Posnaniensem Virũ clarissimæ in Regno nostro stirpis, ac Prælatum omni virtutum laude conspicuum, ut foret virtuti præmium, religioni præsidium, Ecclesiæ ac Fidei ornamentum. Idem Serenissimus Rex ad Capitulum Posnanien: sic de eodem scripsit. Cujus ea generis, eaq; virtutis ac meritorum est amplitudo, tanta in Domo sua honorum societas, ut magis ambiatur, quàm ambiat. Et magis jam timeri possit, ne oblatos honores respuat quam dubitari an maximis dignus parq; sit, quod ipsum in deferendo illi Episcopatu Posnaniensi verebamur, cum magis nostra ac Reipub: interesset, ut illi deferatur, quàm sua, ut acciperet. Ergo sibi Reuerentiæ vestræ gratulari possunt obtigisse illis talem Prælatum, in quo prisca illa Firleanæ familiæ integritas, ac prudentia vigilat, & Heroicarum pariter, & Ecclesiasticarum virtutum ornamenta fulgent, quibus ut hæc Cathedra clariùs splendescat, & novis commodis ac ornamentis feliciter reflorescat.

LXIV.

ANDREAS VI. à Szołdry Szołdrski, de Familia Łodzia. Fuit primò Regni Referendarius, postea Episco-

pus,

pus Kijovienſis, deinde Præmislienſis. Tandem ex Præmislienſi ad Episcopatum Posnaniensem Anno Domini 1635. translatus. Cui quidam tale Elogium dedit: *Eloquentiâ Iulius, prudentiâ Cato, conſilio Fabius.* Hic Cathedralem Eccleſiam combuſtam reſtauravit, & quinque turribus extructis, lamina ænea coópertis, Altari majori erecto & deaurato, imaginibus hiſtorias SS Petri & Pauli repræsentantibus circum circa parieti affixis, Organo magno deaurato, cum fundarione pro Muſicis 9. adornavit. Capellam à parte meridionali, portas marmoreas habentem cum ſufficienti, ab intra ex marmore, ab extra ex æreo tegumento, decore, extruxit, in qua nunc indies per ſex Sacerdotes & ſeptimum Organarium, Miſſæ votivæ decantantur. Venerabili Capitulo Posnanienſi pro refectionibus inprimis 13333. aureos reliquit, cum jam antea 20000. florenorum Polonicalium donâſſet. Et inſuper pro molendino & ſtagno adjacenti Palatio Epiſcopali cum approbatione Sedis Apoſtolicæ Villam Wielichowo dictam, pro vino & cera comparandis donavit. Cùm autem jam ſponsam ſuam Eccleſiam in Diœceſi primam ornatam reddidiſſet, reliquas opes ſuas non temere profudit, ſed in pientiſſimos convertit uſus. Videns tenuem admodùm ſubſiſtentiam laborantium in Academia Posnanienſi Lubransciana Profeſſorũ, ex liberalitate ſua 10000 florenorum Polonicalium illis donavit. Et quia illam ju-

ventutem, quæ ad Reipublicæ Polonæ necessitatem crescebat amavit, ut eò ardentiùs doctrinam sibi ad publica negotia necessariam arriperet, Contubernium cocto latere cum fundatione pro victu sufficienti erexit, quod à sui Fundatoris cognomine Szołdrscianum vocatur: ubi decem Alumni ex sua Familia aut ex materna foventur & studijs instruuntur. Pauperum respectum habens, eis certam summam reliquit, ex cujus censu annuo quotannis vestes ex panno & pellibus alternatim habere possint, quas hucusq; recipiunt. Auxit & fundationem Mansionariorum Beatæ Mariæ Virginis ab olim Jllustrissimo Nowodworscio fundatorum. Tacentur seu prætermittuntur ea, quæ in Senatu Legationibus & munijs publicis dignissimè peregerit. Vixit satis ad memoriam & æmulationem Episcoporum Antecessorum suorum, & exemplum Successorum. Obijt die primâ Aprilis in Clavi Episcopalis mensæ dicta Pzsczew Anno Domini 1650. Ætatis suæ anno 67. sepultus in dicta capella à se fundata, ornata, & dotata, cui Executores testamentarij Epitaphium marmoreum extruxerunt, prout ad præsens cum sua inscriptione videtur.

LXV.

FLORIANVS CASIMIRVS, Dux in Clevan Czartoryski, ex sanguine Jagellonis Regis. Primus è Polonis Episcopis & Ducibus, laureâ Doctorali Romæ insignitus ex Canonico Cracovien: ad Episcopatum Posnaniensem eve-

ctus,

ctus, deinde ex Posnanienſi ad Vladislavienſem Epiſcopatum, tandem ad Metropolitanam Eccleſiam Gneſnenſem translatus, de quo in vitis eorundem Archiepiſcoporum ſcripſimus.

LXVI.

ALBERTVS Tholibowſki, ex Familia Nałęciorum, Vir prudens, pius & rectus. Ordinis Præmonſtratenſium, Commiſſarius, ſanctimonialium Płocenſis Cænobij Ordinis S Norberti, Præp: Suffrag: & Vicarius generalis Płocenſis, ad nominationē Sacræ Regiæ, Majeſtatis ſub tempus belli Suetici, in Epiſcopum Poſnanienſem electus. Sedit in Cathedra annis ſex. Mortuus Poſnaniæ, ſepultus in Cathedrali Eccleſia in Capella Sanctæ Crucis miraculosæ. Jn qua Capella ſex Manſionarios pro decantando Curſu de Paſſione Chriſti Domini, ex cenſu annuo in Nekla inſcripto fundavit. Similiter Monaſterium Religioſis Patribus Ordinis S. Francisci de Observantia, qui in Polonia vocantur Reformati fundavit; & illos introduxit: multaq; beneficiâ fecit Reſidentiam Patrum Societatis Ieſu in Oppido Miedzyrzecz inchoavit.

LXVII

STEPHANVS in Magna Chrzaſtowo Wierzbowſki, ex Præclaro Accipitrinorum, ſanguine ortus ex Nicolao Wierzbowſki, Caſtellano Inowłodenſi, Viro ad Inſignia

Hono-

Honoris Trabeati Nato procreatus; cum fortunata O-paleniorum Nave. Turribus Grudzienſciorum, Faſcia Gembiciorum; Arbore trunca Grzymułtowſciorum, & aliorum conſanguinitatem & affinitatem habens. Indolem ſuam ſub ſceptris Regalibus Iagiellonicis Cracoviæ excoluit. Romanæ, Pariſienſes Academiæ morum & pietatis ſpectatrices fuerunt. Redux in Patriam Archidiaconus Luceorienſis ab Jlluſtriſſimo Gembicki factus. Poſt cujus Fata Sede Vacante in Adminiſtratorem Epiſcopatus electus. Mox in Sereniſſimi Ioannis Caſimiri Aulam coóptatus Theſaurarij munus ſibi oblatum, magna prudentia & laude adminiſtravit. Tandem Referendarij Regni titulo auctus, illibati candoris Vigilantiæ, ac fidei in Majeſtates, præclara documenta dedit. Cujus pietatis ſpecimen, prudentiæ vim & efficacem in rebus agendis dexteritatē videns Ioannes Caſimirus Rex, poſt obitum Adalberti Tholibowſki ad Cathedram Epiſcopalem Posnaniensem Eundem Nominavit, ſicq; Nominatus à Capitulo electus, Perſonas Capitulares Paterno affectu coluit. Palatium Epiſcopale Posnanien: magno ſumptu reſtauravit, ac in meliorem formam redegit. Fornicem Eccleſiæ Cathetralis Posnanien: in Principali Choro proximum ruinæ refecit. Bona Epiſcopalia ne in ruinam irent, quantum potuit cōſervavit, ſed & Sereniſſimus Michaël Rex Sereniſsimaq; Eleonora Regina ſūmo amore Eum & favore cōplexi ſunt

Tan

Tandem Serenissimus Ioannes III. Rex candorem ejus & illibatam veritatis vocem aliasq; virtutes considerans, Eundem ad Archiepiscopatum Gnesnen: Nominavit; Sed cum invidia Aulicorum expeditionem præpediret in Gora Hereditaria ditione sua prope Varsaviã, Neohierosolimã ubi cruenta Salvatoris Nostri Christi Dni vestigia contemplanda visuntur magno sumptu erexit fundavit & dotavit. Plura tam pientissimi Præsulis in Cathedrã suam Beneficia meditanti malevolorum dissensus ob regales favores quibus abundabat & ultima linea rerũ mors, ad effectum deducere non permiserunt. Academiæ tamen Posnaniensis Lubransciane non immemor eidem molendinũ vulgo dictum Łaczny cum omnibus suis attinentijs accedẽte consensu Venerabilis Capituli, donavit & incorporavit. in cujus perpetuum gratitudinis anathema quidam ejusdem Academiæ Alumnorum ad Effigiem Munificentissimi Præsulis, hoc distichon posuit in Oratorio Academico

Dum mola præcipites, Lubranscî volverit Orbes,
Fama tuum toto, Nomen in Orbe vehet.

Anno Domini 1687 die 6. Men: April: ad cælestem Hierosolimam cum rexisset Episcopatum Posnaniensem annis viginti, in circa duobus translatus est Anno gratiæ & Inventariis suis Capitulo Posnanien relictis. Cujus anima vivat cum Sanctis æternâ beatitudine fruentibus.

LXVIII.

STANISLAVS Witwicki in Bonis Smolniki, Districtûs Sanocẽsis die septimâ Maij natus, è sacro fonte à Generoso Luca de Magna Closassorũ Stirpe stemmatis Janina levatus. Prima literarum studia Lublini didicit, mortuis Parentibus ab Avo materno Francisco Dubrawski Succamerario Præmisliensi traditus Jllustrissimo Venceslao Episcopo Varmiensi, primo Resselij, deinde Brunsbergæ studijs admotus. decursis feliciter Philosophiæ studijs à Lesczynio Ludovicæ Reginæ commendatus ad Aulam Principis de Conde in Gallias ablegatus est, Theologiæ Iuri Canonico & Geographiæ dedit operam, & mox Eques montis Fessulani S Spiritus creatus. Redux ex Gallia in Aula Ludovicæ Reginæ commoratus inter Canonicos Gnesnenses à JOANNE CASIMIRO Rege coóptatus, tandẽ inter Secretarios Aulæ receptus, Iudicijs Assessorialibus Regijs assedit, Commissiones publicas varias absolvit, pro sanctioribus rostris disertus fuit Orator. Jn Aula Serenissimi Ioannis Casimiri degens, Magnatum convivia fugitavit, vini potu abstinens, solá contentus frigidâ aquâ. Jn utraq; Cancellaria non solùm ad consilia, sed etiam ad expeditiones concipiendas & conscribendas adhibitus. Tandem successu temporis à Joanne Casimiro Legationis Brãdeburgicæ, Danicæ, Sueticæ secretarius fuit assignatus, & post: Secretarius Legationis magnæ in Gallias ad Ludovicum

vicum Regem Galliarum miſſus. Decedēte IoanneCaſimiro IV. ſub tempus Electionis ab Jlluſtriſſimo Archiepiscopo Interrege invitatus ad aſſiſtentiam ſui: Michaël Rex ad thronum Regalem evectus, intimioribus ſuis annumeravit, ad Auguſtiſſimum Leopoldum Imperatorem miſit. Poſt mortem Michaëlis electus Sereniſſimus Joannes III. Regentem Cancellariæ Regiæ fecit, ex brachio ejuſdem Sereniſſimi Regis ad Gedanenses miſſus, tumultum compescuit. Grodnenſium Comitiorum turbulentiorem ſtatū ad malaciam reduxit. Episcopus Kijovienſis factus, ad tractatus Moschoviticos ad conferentias cum Nuntijs Apoſtolicis Imperialibus Gallicis, Sueticis, Brandeburgicis applicatus. Item ad reducendos in gremium Episcopos Ruthenos à Sereniſſimo Rege Deputatus, interventu Eminentiſſimi Cardinalis Palavicini Apoſtolici Nuntij Jlluſtriſſimi Zbąſcij Episcopi Varmienſis, & Jlluſtriſſimi Jabłonovij Palatini Ruſſiæ eò rem deduxit, ut Leopolienſis, Præmislienſis, Halicienſis, Camenecenſis Epiiscopi Rutheni (qui vulgò Vladicæ appellantur) ſanctæ unioni ſubscripſerint, & conſtātér in eadem unione permanserint. Tandem ad Cathedram Luceorienſem evectvs indefeſſo conatu laboravit circa ſacrum fædus concludendum contra Turcas. Jn Diœceſi vigilantiſſimum Paſtorem ſe exhibuit. Diœceſanam Synodum Breſtæ celebravit, Libros pro utilitate Sacerdotalis & ſæcularis ſtatûs, utpote Gram-

maticam Christiano politicam, Orationis Dominicæ Commentaria, Antidotum Sarmaticum contra perniciosas Cleri cujuspiam novitates, Obligationes omnium statuum, delineationem vitæ temporalis inter umbras humanas displicentiæ. Sigillum Regni à Serenissimo Rege sibi oblatum recusavit, ad Posnaniensem Cathedram maluit transferri, Episcopus factus mox Synodum Diœcesanam celebravit Erat Vir ex omni parte doctus & eruditus, sed magis genio Regis & sæculi obsecundans, frugali mensa contentus, quam varijs discursibus condiebat, Capitulo & Sponsæ suæ minùs favens, unde & in Collegiata Varsaviensi sepulturam sibi elegit, & ibidem postquam fatis cessit sepultus est. Et cum in primo testamento manu sua scripto & subscripto Christum Heredem exasse instituisset, ex suggestione domesticorum, sub quorum cura ægrotus remanebat, extraneum instituit.

LXIX

ILlustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. NICOLAVS II. in Swięcice Swięcicki Episcopus Posnanien: feliciter modernus, cui Dominus sanitatem optimam, vitam longævam fortunam secundam.

TRACTATUS
De Poteſtate Capituli Sede Epiſcopali vacante.
PARS PRIMA,
De Poteſtate Generali Capituli Sede Epiſcopali vacante.

Non eſt dubium, quod mortuo Epiſcopo alicujus Diœceſis, Juriſdictio Epiſcopalis tranſit ad Capitulum ſuum Cathedrale. Tex in cap. unico de Majoritate & obedientia, in ſexto libro Decretalium ibiq; paſſim Canoniſtæ.

Et non ſolum ſede Epiſcopali vacante per mortem, ſed etiam per translationem ad alium Epiſcopatum, quia à die conſenſus, dicitur vacare Eccleſia, non autem prius, niſi appareret Papam voluiſſe invitum transferre. *Novarius in ſumma Bullarii par* 1. *Commentario 38, num:* 2. *Diana in Tractatu quinto de poteſtate Capituli ſede vacante, reſolutione quinta.* vel captus eſſet ab hoſtibus *gloſſa ad dictum cap: unicum de Majoritate & obedientia in ſexto.* vel etiam per renuntiationem *Novarius locô citatô Imò ſi* Epiſcopo exiſtente in remotis, ita ut ejus præſentia brevi haberi non poſſit Vicarius illius moriatur. *Ita Diana de reſolut:* 5. *& ſic ſervatum fuiſſe Neapoli teſtatur. Rationemq;*

onemq; reddit, quia longa absentia æquiparatur morti.

Controversia est inter Doctores, an omnis Iurisdictio transferatur in Capitulum sede Episcopali vacante talibus modis.

Et licet multi Doctores teneant, Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopi sui, tantùm succedere in ijs quæ sunt in Jure expressa. *Ita Felinus in Cap: Cum olim de majoritate & obedientia. Abbas in cap. 2. tit. Ne sede vacante, Geminianus in Canone Presbyteri distinctione 24 Hostien in summa tit. de majoritate & obedientia, Glossa ad Clementinam* primam § 1 verbo Capitulum, de Hæreticis. Parisius de resignatione Beneficiorum lib 7. *Q.* 23. *num:* 18 *Piasecki* in proæmio Praxis suæ Episcopalis num 2. *Imò per omnia tutius est.* Rota Romana, relata, à Garzia, de Beneficijs *part 5, num: 92. & alij Doctores idq;* allegando textum in cap: 2 *Ne sede vacante, in illis verbis* Cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum sede vacante fungatur vice Episcopi. Allegatur & cap: Ex indulgentia speciali, & cap. ex parte, de rescriptis, tum quòd trita Regula Iuris ita censetur prohibitum, quod non apparet concessum *Glossa in cap:* Illa *in verbo Cum nusqaum inveniatur.*

Nihilominus, communis est Doctorum opinio Capitulum Cathedrale vacante sede Episcopali, succedere generaliter, in omnibus quæ jurisdictionem ordinariam Episcopalem ex Iure communi concernentem concernunt: exceptis casibus in Iure expressis. *Ita Quaranta in Bullario*

rio, in verbo Capitulum ſede vacante, & Intellige. Barboſa, de Canonicis, cap. 42. num. 61. Idem Barboſa, in tractatu de poteſtate Epiſcopi par: 2. allegatione 36. Idem Barboſa in lib. 3. Decretalium ad cap, Illa tit. Ne ſede vacante num: 3. Sanctarelus in prima parte variarum reſolutionum, Queſtione 41. num: 35. Piaſecki in praxi ſua Epiſcopali parte 1 cap: 1. num: 1, contrarius ſibi ut ſupra Corradus, in praxi Beneficiaria lib. 2. cap: 12. num: 91. Novarius in ſumma Bullarij parte 2. tit Ne ſede vacante num. 3. Gárzias ubi ſupra num. 4 & 30 Genuenſis in praxi ſua Archiepiſcopali Neapolitana cap: 87 num: 1. Riccius in praxi Fori Eccleſiaſtici decis: 245 Fagnianus par: 2. libri primi Decretalium cap: His quæ num: 42 & in cap. Cum olim eodem libro, & parte, num: 2. tit de maioritate & obedientia Pavinus de poteſtate Capituli, par, 1. Quæſt: 10. Rota Romana diverſorum par, 2. deciſ. 1. num: 3. & parte 2 Deciſ. 632. num. 4. Diana in tractatu quinto de poteſtate Capituli ſede vacante reſolut: 1. Moventurq; Doctores iſtius opinionis communis, per textum in cap: olim ibiq; Gloſſam de maioritate & obedientia. Item per tex in cap: Ad abolendam ibiq; gloſſam in verbo ſede vacante tit: de Hereticis Item per textum in cap: penultimo ibiq; gloſſam ſub verbo, ſed Capitulum, Item per textum in cap: tertio, & finali, tit: de ſupplenda negligentia Prælatorum in ſexto libro Decretalium Item per tex: in cap: primo tit: de inſtitutionibus, eodem lib: Decretalium.

Reſpondentq; ad cap. pro contraria opinione allegatum.

tum. Quod loquatur de collatione Beneficiorum, quæ cũ sit quædam donatio (ut in cap: de multa de Præbendis habetur) & donatio, non comprehendatur, sub quacunq; ampla & generali facultate concessa, nisi specialiter exprimatur: Iuremerito itaq; in dicto cap: appositum esse. Capitulum sede vacante Episcopali, non posse beneficia conferre; cum de hoc nullibi in Iure reperiatur esse cautum: non tamen inde posse concludi, ad exclusionem alicujus potestatis circa ea, quæ sunt Iurisdictionis ordinariæ, id enim neq; ex verbis, neq; ex mente illius textûs esse potest. Nam ea omnia generaliter & universaliter ex ipsa nuncupatim transferuntur in Capi: quæ huiusmodi Iurisdictionis ordinariæ sunt ut est tex: in cap: penultimo titulo de supplenda negligentia Prælatorum.

Ampliaturq; conclusio communis. Primò, ut non tantùm in Iurisdictione spiritualium sed etiam in administratione temporalium succedat Capitulum sede vacante Episcopali. *Ita Glossa ad cap. unicum sub verbo Iurisdictio tit: de maioritate & obedientia lib: sexto Decretalium. Honor. lib: 3. Decretalium tit 9. num. 4 Franciscus Leo in suo Thesauro par. 1. cap: 10. num. 7. idq; per text: in dicto cap. 3. & cap. finali, tit. de supplenda negligentia Prælatorum lib. 6 & in cap. 1. de constit in sexto & in cap: Cum olim tit: de maioritate & obedientia, & in cap: unico eodem tit: in sexto & novissime Concilium Tridentinum cap: 16. sess: 24. de reformatione.*

Subampliatur dicta ampliatio prima etiamsi Bona Episcopi

scopi & Capituli sint divisa. *Ita Honorius lib: 3. Decretalium tit. nono num. 4.*

Subampliatur 2dò. Quòd succedat in Iurisdictione etiam in Re feudali. *iuxta Honor. locô citatô allegando Gaillum lib: 1. obser. 30. num. 10. Etiam ita servari in Germania, licet secus in Gallia, ubi Dominus Feudi succedit*

Ampliatur secundo qd non tantũ in Iuridictione Episcopis de Iure concessa, sed etiam de consvetudine illis competenti, Capitulum sede vacante Episcopali, succedat. *Ita Garzias d. cap. 7. num: 39. cum: seqq Barbosa ad dictum caput 42. numero sexagesimo primo Quaranta ubi supra num. 1 §. subsequenter. Genuensis sub praxi cap: 87. num: 1. versu 1. Ampliat Conedo in collectaneo quarto ad librum sextum num. 3. Pavinus par: 1. Quæst: 9. num: 7. Azorius parte secunda lib: 3. cap: 39. Quæst: 7. Honorius ubi supra num: 5. dum inquit:* Transit in Capitulum Iurisdictio competens Episcopo etiam de consvetudine: Et ex prorogatione seu extensione Iurisdictionis ordinariæ factæ per legem, sive Canonem. *Idem & Diana in Tractatu quinto de potestate Capituli sede vacante resolutione quartâ.*

Ampliatur Tertiò quòd Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopali, habeat Iurisdictionem non tantùm in Personas spirituales sed etiam sæculares; si Episcopus defunctus, præter Iurisdictionem Episcopalem, habuit quoq; temporalem, idq; etiamsi causæ sint criminales, quia & eiusmodi causas absq; metu Irregularitatis, potest Magistratui vel alteri personæ sæculari delegare, ut super hoc

factâ

factâ Inquisitione super veritate criminis, justitiæ debitum exequantur. *Ita Quaranta vbi supra quæsito primo* §. *ulterius sciendum. Diana ubi supra resolut: 7. idq; per text in cap finali titulo, Ne Clerici vel Monachi lib: sexto Decretalium, & per textum in cap: Conquestus, tit: de Foro competenti, & in cap: Romana.* §. *Debet de appellationibus libro sexto Decretalium.*

Ampliatur Quarto. Quod possit etiam exercere Iurisdictionem contra Prælatos & Canonicos Capituli. *Ita Navarrus consilio: de officio Ordinarii Quaranta ubi supra dicto* §. *vlterius sciendum, ad finem, Adhibitis tamen* Adiunctis ex Capitulo, prout & ipsemet Episcopus tenetur eosdem Adiunctos in tali casu adhibere. *Pialecki in proœmio Praxis suæ Episcopalis num: 22.* §. *Hinc etiam venit.*

Ampliatur Quintò Quod non tantùm in illis, quæ sunt Iurisdictionis Episcopalis; sed etiam in his quæ sunt Ordinis Episcopalis & consecrationis, succedat. *Ita glossa finalis ad cap: His quæ Tit: de maioritate & obedientia, & eandem glossam secutus est. Fagnianus in secunda parte libri primi Decretalium d. cap: His quæ, tit. de maioritate & obedientia num: 64. Quod ea quæ ministerium consecrationis desiderant, ad Capitulum sede Episcopali vacante devolvantur: non quidem, ut Capitulum exerceat illa per seipsum sed quod valeat ad illa expedienda vocare quem maluerit, ex vicinis Episcopis.* cum cautelæ studio, id est cum protestatione, quod per hoc nihil Iuris illi Episcopo acquiratur. Allegatq; Fagnianus loco citato pro hac opinione & quidem

dem veriori *textum in cap, Cum nullus tit: de temporibus Ordinationum in sexto, ubi expressum est* Capitulum sede vacante posse dare licentiam ordinandi: Allegat secundò textum in cap. Suffraganeis *tit: de Electione, ubi Electus in Archiepiscopum & confirmatus, licet* pallium Archiepiscopale non receperit, potest suum Suffraganeum, non per seipsum, sed per alios Suffraganeos consecrare, licet non possit dare licentiam, ut subditi sui ab alio Episcopo ordinentur. Et ita, in hoc casu Ius pingvius habere Capitulũ sede vacante Episcopali, quàm confirmatus Archiepiscopus, *ut indicto cap: Cum nullus, tit: de temporibus Ordinationum in sexto.* Item allegat glossam finalem *in d. cap: Cum nullus quæ* asserit collationem Ordinum & Sacramẽtorum esse de lege Iurisdictionis. Eandem opinionem tenent. *Quaranta ubi supra d. Quæsito* 1, *§. subnectitur congrue Genuensis in praxi sua Archiepiscopali cap* 87. *num* 33. *Honorius lib:* 3. *Decretalium tit:* 9. *num* 5. *Facit Concilium Tridentinum cap. quinto sess:* 6. *de Reformatione dum iuquit* Nulli Episcopo liceat cuiusvis Privilegij prætextu Pontificalia in Diæcesi alterius exercere, nisi de expressa licentia Ordinarij loci. *Bassæus quoq; in Floribus totius Theologiæ sub verbo, Capitulum num. 6. idem tenet quod Capitulum sede vacante licet non possit exercere ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, tamen potest committere Episcopo alicui ut ea exerceat. Rationemq; reddit, quia committere est Iurisdictionis non Ordinis Episcopalis, exercere autem est Ordinis.*

Ampliatur sextò. Quod non tantùm in Jurisdictione cõ-

tentiosa, sed etiam in voluntaria succedat. In quantum scilicet in Iure reperiatur concessum vel in quantum necessitas suadeat, ut ille actus fiat: Adeoq; ut in casu denegationis absq; justa causa, superior, pro compulsu adiri possit. *Ita Geminianus in cap' unico tit: de majoritate & obedientia. Felinus in cap. Cum omnes, tit. de constitutionibus numero Decimo Glossa in Clementina* 1. *sub verbo Capituli tit: de Hæreticis communiter à Doctoribus approbata Idem tenuit Fridericus de senis consilio 30. Quaranta in summa Bullarij sub verbo, Capitulum sede vacante Quæsito 1. versu 3. intellige Regulam. Garzias in tractatu de Beneficiis, par 5. cap: 7. num. 2 num: 54, num. 60 & num. 81 Genuensis in praxi cap: 81 num: 2. versu 2 Rebuffus in praxi tit: de devolut: num: 85. & in Tractatu de Nomination Quæst: 8. num 49. Piasecki in proœmio praxis suæ Episcopalis num: 22 versu Tantò communior & in ipsa praxi par: 2. cap: 1. art: 3. num. 18. Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis: 357. num: 4 Fagnianus par 1. libri tertij Decretalium ad cap: Illa num: 12 tit: Ne sede vacante. Vide Dianam resolutione 3. Ableganturq; pro comprobatione istius ampliationis sextæ in primis in cap. Cum olim tit. de maioritate & obedientia. Item text. in cap. Cum nullus tit de temporibus Ordinationum in sexto.* Atq; sic intelligendi sunt Doctores contrarium sentientes, quod Capitulum sede vacante Episcopali non succedat in Iurisdictione voluntaria, *ut tenent* Ioannes *Monachus in cap. ultimo de supplenda Prælatorum negligentia Archidiaconus in cap. Episcopus eodem tit. ut eos refert Piasecius*

cius in tractatu de Reſign. Beneficiorum lib. 7. Quæſt. 28. num: 13 Vnde Capitulum ſede vacante non poteſt gatias merè voluntarias ſeu donationes ſine neceſſitate facere, aut fructus & commoda Epiſcopatus diſtrahere Vt annotavit Layman lib: 1. Tractatu 4. cap. 7 § 4 num. 17. Baſſeus in Floribus totius Theologiæ practicę ſub verbo Capitulum num 10 allegantes gloſſam in cap. 1 ſub verbo Pręſentatos tit. de Inſtitutionibus.

Ampliatur ſeptimò. Quòd ſuccedat, non tantùm in Iuriſdictione ordinaria ex jure communi generali ad Epiſcopum ſpectante ex dicto Cap. Cum olim & cap: ad Abolendã ibiq; gloſſam ſub verbo: ſede vacante tit: de Hæreticis & cap. 1. ibiq; gloſſam ſub verbo ad Epiſcopum pertinente, tit. de Adulterijs, ſed etiam in ea quæ ſpectant ad Epiſcopum reſpectu illius Iuriſdictionis Epiſcopalis ex Jure communi ſpeciali conceſſa. Ita Riccius, in praxi rerum quotidianarum reſolut. 265. Diana in tractatu de poteſtate Capituli ſede vacante reſolut, 16. & ſequ. Genuenſis in praxi ſua Archiepiſcopali cap. 66. num, 22. Garzias ubi ſupra cap. 7. num: 40. Piaſecki in praxi ſua, parte ſecunda cap. 1. num: 16 Sanchez in tractatu de matrimonio lib: 8. diſputatione 2. num. 10. & alij Doctores.

Nec obſtat doctrina Innocentij in cap. Cum in cunctis, tit. de Electione Abbatis in cap. verum, tit. de foro competenti. Gloſſæ in cap. ſcriptum, ſub verbo Temporis, tit. de Electione. Honorij ubi ſupra num: 6. & 7. Garziæ num. 38. Fagniani parte 2. libri 1, Decretalium ad cap: His quæ, tit.

 de ma-

de majoritate & obedientia numero 43. & numero 46. ubi scripsit quòd non succedat Capitulum in conferenda laurea Doctorali & Magisterij. Idem scripsit & Genuensis in praxi cap. 87. num. 29. rationem reddendo quia Episcopus de Jure communi non possit doctorare, *Quarantæ ubi supra num 1. versu, subsequenter Francisci Leonis in suo Thesauro fori Ecclesiastici par: 1. tit: 10. num. 8. sub Fallentia 7. versu, Capitulum enim sede vacante. Bassæi ubi supra num. 6. Barbosæ lib: 3. Decretalium cap: Illa, tit: Ne sede vacante aliquid innovetur num: 26.* Et aliorum Doctorum asserentium. Capitulum sede vacante non succedere Episcopo in his, quæ concernunt Episcopum Iure speciali & accidentali. Quia illorum doctrina procedere potest in his, quæ spectant ad Episcopum jure speciali gratioso, videlicet ex Privilegio respectu dignitatis Episcopalis, non autem in his, quæ competunt Episcopo, Iure communi speciali. *Ita Abbas in dicto cap. verum. Felinus in cas. Eam te, tit: de Rescriptis. Roccius dicta resolut: 265. num. 6. Honorius ubi supra, num: 7.* Ratioq; diversitatis ab illis redditur. Quia Capitulum succedit Episcopo propter communionem, quæ est inter illos. Sunt enim unum corpus. *cap: Quando tit: de His quæ fiunt à Prælatis. Rota Romana, parte prima recentiorum, decis. 296.* Et dignitas ac Jura Ecclesiæ, pariter possidentur per Episcopum & Capitulum, *juxta cap: Dilecti, ibidem q. Doctores, tit: de majoritate & obedientia. Fagnianus lib. 2. Decretalium. cap. verum, tit: de foro competenti, num: 5. & sequ.* Quæ rationes cessant in his, quæ Episcopo competunt

pctunt, jure speciali, & ex Privilegio, aut ex delegatione, ut infra dicemus.

Ampliatur octavò. Quòd succedat Capitulum in Iurisdictione competenti Episcopo, ex prorogatione seu extensione Iurisdictionis ordinariæ, facta per legem, seu Canonem. *Ita Geminianus in Cap: Quanquam, de Electione in sexto. Quaranta d. § subsequenter Genuensis d. cap. 87. num: 31 dicens hanc esse veriorem opinionem. Honorius vbi supra num: 5. & 6. Garzias in Tractatu de Beneficijs par: 5. cap: 7 num: 48 & sequenti & alij DD. contra nonnullos.* Ratio hujus ampliationis redditur à Honorio quia eadem ratio esse debet additamenti, quæ & principalis. Exemplificatq; etiamsi illa prorogatio fiat, cum verbis Apostolicis authoritate concedimus facultatem, quia ejusmodi verba non faciunt Jurisdictionem delegatam *juxta tex in cap. Cum aliquibus, ibiq; glossa sub verbo Concedimus facultatem tit: de Rescriptis in sexto.* Aliud Exemplum adfert si adsint verba; non obstante exemptione vel Privilegio. Cujus exempla habentur, in Clementia I. *de Testamentis, & in Clementia 1. tit: de sepulturis; & in cap: Ad abolendam tit: de Hereticis. Aliam rationem reddit Honorius vbi supra num: 6.* Quod aliud sit dari à Jure Jurisdictionem delegatam Episcopo, ita ut procedat authoritate Apostolica; & tanquam specialiter delegatus; & aliud est dari Episcopo Iurisdictionem in aliquibus casibus quam alias non habebat, extendendo ejus potestatem ordinariam. *Allegatq; tex: in cap: Cum olim & ibi Doctores, tit: de majoritate & obedientia. Et huic opinio-*

ni videtur adhærere Fagnianus in par: 2. libri primi Decretalium, ad cap: His quæ tit. de maioritate & obedientia num: 56 dum inquit. Ex quo notabiliter infero, ut poteſtas à Concilio Tridentino Epiſcopis attributa, tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatis, defuncto Epiſcopo, in Capitulum non tranſeat ſecus ſi Epiſcopis competat vtroq; Iure ſcilicet ordinario & delegato, veluti ſi Concilium det illis facultatem procedendi etiam authoritate Apoſtolica, Ideoq; Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini cenſuit facultatem transferendi Beneficia ſimplicia ab Eccleſijs collapſis competentem Epiſcopo *ex cap: ſeptimo ſeſſ:* 27 tranſire in Vicarium Capituli ſede vacante. Siquidem Decretum illud non dicit ſimpliciter, Authoritate Apoſtolicâ, ſed additâ particula: Etiam, quæ eſt implicativa Iuriſdictionis ordinariæ. Hucuſq; verba Fagniani. Idem ſcripſit & tenuit in *par: 2. libri tertij Decretalium ad Caput Audientiam, tit: de Eccleſiis ædificandis vel reparandis, num:* 46 *& ſequ.* Eidem ampliationi videtur adhærere & Piaſecki *in praxi ſua Epiſcopali par: 1. cap: 1. art 2. num: 22. in illis verbis:* Tum demum ſi intelligamus ibi prorogari Iuriſdictionem Epiſcopi & non delegatum concedi. Videatur & Garzias ubi ſupra *par: 5. cap, 7. num: 40.*

In Juriſdictione Epiſcopo ſpecialiter delegata: quod Capitulum ſede vacante non ſuccedat Epiſcopo, communis eſt Doctorum opinio. Ita tenuit. *Federus de ſenis conſilio 30. Quaranta vbi ſupra a principio numeri primi. Novarius in ſumma Bullarij par: 1. comment: 38. num: 36. Barboſa in*

tracta.

tractatu de Canonicis & dignitatibus cap: 42. num: 104. Idem Barboſa tenet libro 3. Decretalium cap: Illa num: 26. tit: Ne ſede vacante aliquid innovetur. Genuenſis in praxi cap: 87. num: 30. quem vide Piaſecki in proœmio praxis ſuæ num 22. Rota Romana decis 6. tit: de Officio Delegati in antiquis. Idq; per tex. in cap: Paſtoralis § Præterea tit de Officio Ordinarij Ratio autem redditur Quia præſumitur perſonæ electa induſtria. Ita Baſſeus, ſub verbo Capitulum num: 6.

Subampliatur Primo dicta Concluſio Etiamſi ſaltim poſt præſentationem mandati ſeu commiſſionis fuiſſet mortuus Epiſcopus. *Ita Nicolaus Garzias de Beneficiis parte 5. cap: 7. num 43. Barboſa loco citato num. 26 & in dicto cap: 42. num: 104. Qaranta dicto num: 1, verſu ſubſequenter. Piaſecki ubi ſupra Genuenſis in praxi cap: 87. num 29.*

Subampliatur ſecundo Etiam ſi Epiſcopus cui Cauſa delegata eſt, jam eandem cauſam incæpiſſet, ſed expectandus eſt ſucceſſor Epiſcopus. *Ita Genuenſis loco citato num: 29. & Barboſa d. cap: 42. num: 104 allegantes cap: Quoniam ibiq; Abbatem tit: de Officio Delegati. Cardinalem in Clementia prima, tit: de hæreticis, & alios Doctores, atteſtatur Genuenſis hãc eſſe opinionem, communẽ* vel ſi Epiſcopo Iuriſdictio competeret cum alio inſolidumq; quia tunc ad Collegam ſuperſtitem fieret devolutio. *Ita Quaranta ubi ſupra, verſu Prædicta reſtringe.*

Extenditurq; dicta Opinio, quòd Capitulum ſede vacante non ſuccedat Epiſcopo, in Iuriſdictione delegata: quòd procedat etiam in Iuriſdictione generaliter à ſede Apoſto-

lica delegata, prout sunt casus *in cap: Irrefragabili tit: de Officio Ordinarii in cap: Ad abolendam tit: de Haereticis in Clement: Attendentes tit: de statu Monachorum, & in Clemen: quia contigit tit. de Religiosis Domibus;* Et quae ex Concilio Tridentino Episcopis respectu dignitatis compe- tit tanquam sedis Apostolicae Delegatis.

Ita Fagnianus in secunda parte libri primi Decretalium ad cap. His quae numero quiqnuagesimo quarto & sequentibus numeris, tit. de maioritate & obedientia, dicens hanc opinionem esse communem & veriorem Garzias in tractatu de Beneficiis par. 5. cap. 7. num. 46. Novarius in summa Bullarij par. 1. comment. 38. num. 26. & alij multi. Licet in contrarium non desint quoq; Doctores, inter quos numerantur: *Hostiensis Cardinalis, Ioannes Andreas. Quaranta in Bullario sub verbo Capitulum sede vacante. Quaesito 1. ver: Quod amplia quem vide & alij Doctores ad d. Cap. Ad abolendam tit. de haereticis.* Rationem suae opinionis adferentes; Quia illa Iurisdictio non intelligitur delegata, sed magis ordinaria prorogata; in qua Capitulum (vt supra scripsimus) succedit & non expirat morte Delegati de quo videatur etiam Barbosa in tractatu de Canonicis & dignitatibus *cap.* 42 *num.* 107 sed haec melius patebunt in parte sequenti in qua casus speciales enumerabimus in quibus Capitulum sede Episcopali vacante succedat.

PARS

PARS SECVNDA.

In qua enumerantur casus speciales, in quibus Capitulum sede Episcopali vacante succedat.

PRimus *casus est* Quòd potest judicare omnes causas etiam in prima instantia vigore Concilij Tridentini *cap. 20. sess. 24. de Reformatione. Ita Barbosa dicto cap. 42. de Canonicis & dignitatibus, numero octuagesimo quinto. Aloysius, Riccius in praxi aurea, resolut: 130.* Barbosa *supranominatus, in tractatu de Officio & potestate Episcopi par: 3. allegatione 81. num. 6 Idem Barbosa ad caput. Illa tit: Ne sede vacante quidquam innovetur. num: 23. Diana in tractatu de potestate Capituli sede vacante resolut: 8. Et potest easdem exequi juxta Bassæum sub verbo Capitulum num: 6.* Ratioq; redditur, quia Episcopi habent hoc privilegium jure Ordinario, à Concilio Tridentino loco citato sibi concessum, quo casu succedit Capitulum sede vacante. Tum quia appellatione Ordinarij, non solùm venire Episcopum, sed etiam inferiorem Prælatum. Ampliaturq; hic casus primus, quòd Capitulum sede vacante possit deputare Iudices ad cognitionem ejusmodi causarum. Limitatur. Quia Capitulum sede vacante licet succedat Episcopo, in nudo exercitio jurisdictionis Episcopalis, tamen si verteretur quæstio super proprietate alicujus juris seu Iurisdictionis an ad Episcopum pertineat vel non verbi gratià, si contenderetur, an aliquis

sit

sit subiectus vel exemptus. Item an talis locus sit de Diœcesi, vel non; similiter si dubitaretur, an aliquod Beneficiũ sit de Iure patronatus, vel pertineat ad meram collationem Episcopi, Capitulum non succederet in examinatione ejusmodi Quæstionis. Idq; etiamsi ejusmodi causæ essent incæptæ ante vacationem sedis, sed expectandus est novus Prælatus. *Ita Panormitanus in cap. verum num: 12, tit. de foro competenti Pavinus de potestate Capituli parte 2. Quæst: 9 Diana ubi supra resolut. 9.* Ratioq; datur propter præjudicium quod generari posset futuro Episcopo, cum tunc Ecclesia careret legitimo Defensore *per tex. in cap. finali ibiq; Doctores tit. Ne sede vacante.*

Secundus casus est. Quòd potest judicare etiam causas Matrimoniales, & criminales, & alias arduas *Ita Quaranta ubi supra § 5. quæro Barbosa dicto cap. 24. num: 72. & num. 102 & d. cap. Illa, num. 18. Genuensis in praxi Archiepiscopali Neapolitana cap. 87 num. 17. Piasecki in proæmio praxis suæ Episcopalis num. 21. Idq; per tex. in cap. veniens, tit. de eo, qui duxit in matrimonium, & in cap. Significavit, tit. de conversione Coniugum.*

Nec obstare Concilium Tridentinum *dicto cap. 20. sess: 24. de Reformatione.* Quia loquitur de Prælatis inferioribus Episcopo.

Tertius casus est. Quòd possit cognoscere de crimine Hæresis. *Ita Genuensis d. cap. 87: num. 19. Barbosa d. cap: 42, num: 66 qui allegat glossam ad dictum caput, Ad abolendam sub verbo: Prærogativa, & alios Doctores, Fagnianus in par: 1. libri*

quinti Decretalium ad cap: Ad abolendam num: 13 tit: Hæreticis, Glossa ad idem cap Ad abolendam sub verbo: Prærogativa. Novarius summa Bullarij parte 1, comment: 38 num: 10, Diana resolut; 20.

Et licet Piasecki in praxi sua Episcopali, *parte 2, cap, 3, art, 6, num, 13,* teneat, quòd in causa Hæresis possit Capitulum sede vacante, procedere etiam contra exemptos, Novarius tamen *d. num. 10.* contrarium tenet, allegando Decianum, in tractatu criminali *lib, 5, cap 21, num 25,* Farinaceum in tractatu de Hæresi, *Quæst, 186, § 11, à num, 178,* Genuensis autem loco citato scripsit, quòd in casu judicandæ Hæresis. Capitulum debeat in specie constituere Delegatum ad judicandum Hæreticos: Et quod non sufficiat quòd sit Vicarius Capituli, nisi habeat speciale mandatum à Capitulo, tum quòd in carceribus Episcopi tales delinquentes detineat, allegando glossam, in Clementina prima, & ibi Cardinalem de Hæreticis, *vide etiam Quarantã in Bullario sub verbo, Capitulum sede vacante, ver, 5,*

Quartus casus est. Quòd potest punire delinquentes, & super facto, inquisitionem facere. *Ita Genuensis in praxi sua Archiepiscopali Neapolitana in dicto cap. 87, num, 3. Barbosa in tractatu de Canonicis & dignitatibus cap, 42, num, 65, Fagnianus in dicto cap, His quæ num: 51, & num, 102, versu 35,* dum inquit: Potest Capitulum sede vacante Episcopali inquirere de delictis, extra visitationem contra certas personas, allegando decisionem Rotæ Romanæ, *decis, 166, parte 3, recentiorum.* Hoc adjuncto, quòd non possit alium

carcerem instituere, nisi quem habebat Episcopus defunctus.

Quintus casus est. Potest Beneficiatos ob crimen aliquod, vel ex alia justa causa Beneficijs privare & deponere. *Ita Genuensis ubi supra num, 18, Quaranta ubi supra, ad finem Quæsiti noni, Barbosa dicto cap, 42, num, 80, Piasecki in praxi parte 2, cap, 5, num, 69,* vbi videtur innuere etiamsi sint collationis solius Episcopi, non tamen illa conferre ut infra dicemus. *Honorius loco citato num. 5. Rota Romana, decis: 6, sub tit, de rerum permutatione, in novis, Allegaturq; textus in cap, His qui tit: de majoritate & obedientia.*

Sextus casus est. Quòd potest excommunicare, & alias censuras ferre, quas poterat Episcopus. *Ita Genuensis ubi supra, num, 5, adjungendo,* quòd sine dubio ad finem revelationis ut animæ exeant à peccato, *juxta caput 8, Concilij Tridentini sess 25, de reformatione,* & ita servari in Curia Neapolitana, *testatur Barbosa in dicto cap, 42, num, 65, & num, 80, Rebuffus in praxi sub tit, de revolutionibus, num 63 Fagnianus parte 2, libri quinti, Decretalium ad cap: & nobis tit, de sententia Excommunicationis num, 47, ubi de Censura suspensionis. Allegaturq; pro hoc textus in cap: His quæ, tit de maioritate & obedientia, & in cap: unico, eodem, tit. lib, 6. Decretalium.* Quod tamen non possit anathematiz are, id est cum solennitate excommunicare, *de qua excommunicatione habetur in Canone, debent, undecima, causa, Quæst, 3. Idem Fagnianus annotavit ad d, cap: His quæ. in secunda*

parte

parte libri primi Decretalium, sub tit, de maioritate & obedientia, num, 49, ad finem ubi testatur de communi.

Septimus casus est. Quòd potest absolvere ab omni excommunicatione, à qua Episcopus poterat absolvere. *Ita Novarius in summa Bullarii comment, 38, num, 24, per tex, in cap, unico, & Genuensis dicto cap, 87, num 11, per tex, in cap, 1, tit, de maioritate lib, 6, Decretalium & gloss, ad cap, His quæ, Barbosa in dicto cap, 42, Piasecki in praxi parte 1, cap, 1 art, 2, num, 22. Quaranta ubi supra Quæsito 3, & alii.*

Ampliaturq; casus, ut procedat tam in excommunicatione lata ab homine, quàm à Iure, nisi à Sede Apostolica hæc facultas adempta fuerit, unde ab excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata non potest absolvere. *Iuxta Glossam ad d. cap: unicum, tit. de maioritate & obedienta in sexto sub verbo Iuris. Glossam ad cap, sciant cuncti, sub verbo, Sententia, tit: de Electione, per text: in cap: Nuper tit: de sententia excommunicationis, ibiq; glossam, sub verbo retinuit, Barbosa d: cap 42. num. 62, & 65.* Unde Capitulum sede vacante, vel ejus Vicarius non potest absolvere à Casibus in Concilio Tridentino *cap. 6 sess, 24, de Reformatione Barbosa dicto num: 62, atq; sic à Sacra Congregatione Concilij Tridentini die 3, Decembris, Anno Domini 1632, videatur Piasecki in praxi par 1. cap: art: 2. num. 22 & par 2 cap. 1 tit de Casibus Episcopo reservatis num: 18. ubi pro utraq; parte adfert Doctores,* & tandem subnectit declarationem Concilij Tridentini tenoris sequentis.

Quæritur pro parte Episcopi Camenecensis per emi-

nentissimas Dominationes Vestras declarari, an facultas competens Episcopis, vigore Concilij Tridentini *cap: 6. sess, 24.* de Reformatione transferatur in Vicarium Capitularem sede vacante Episcopali die 4. Decembris, Anno Domini 1632. Sacra Congregatio Cardinaliũ Concilij Tridentini Interpretum Inhærendo declarationibus, aliàs factis, Respondit, Episcopos vigore dicti cap. sexti non posse absolvere, nec dispensare in casu Hæresis, neq; in alijs nova lege post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis: verùm in ijs casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utiq; transferri, in Vicarium Capitularem sede Episcopali vacante, dummodò talis facultas specialiter per Capitulum eidem Vicario tributa fuerit: subscriptio autem talis. Rober: Card: Vbaldinus.

Octavus casus est. Quòd potest confirmare, vel infirmare electiones, quas poterat Episcopus. *Ita Barbosa dicto cap. 42. num: 63. & in Tractatu de Officio Episcopi par. 3. allegation: 72. num: 183. & par: 1. lib. 3. Decretalium. Quaranta vbi supra Quæsito nono, Fagnianus ad cap. Illa, num: 10. tit. Ne sede vacante. Lotterius lib. 2. Quæst. 2. à num. 17. Piasecki in praxi Episcopali parte 2. cap. 5. art. 2. num. 62. Honorius ubi supra num. 5. quem vide Vallensis ad librum tertium Decretalium, tit. 9. num: 7. Pavinus parte 2. Quæst. 4. & 5.*

Allegaturq; *textus in cap. Cùm olim, ibiq; glossa. & Doctores tit: de majoritate & obedientia.* Ratioq; redditur. Quia licet collatio sit voluntatis & gratiæ; vt in dicto cap: Illa. Confir-

Confirmatio autem necessitatis, & sapit justitiam, cum per electionem sit Ius quæsitum electo, ideoq; ei sit debita confirmatio, *ut in cap: Cùm inter tit: Ne sede vacante.*

Ampliaturq; hic octavus casus, quòdsi Electio alicujus dignitatis spectaret ad Capitulum, & confirmatio ad Episcopum, Capitulum sede vacante duplici Iure possit vti scilicet eliget jure Capitulari, & confirmabit jure Episcopali in quo succedit. *Ita Quaranta ubi supra hoc est Quæsit: 9 §. Quæ conclusio recipit. Vallensis ubi supra num. 6 & alij DD. Allegaturq́ pro hoc glossa & Doctores in cap: penultimo, tit: de supplenda negligentia Prælatorum in lib: 6, Decretalium.*

Nonus casus est. Quòd possit monitoria edere, ad finem Revelationis. *Ita Novarin. in summa Bullarij parte 1. comment: 38. num: 23.*

Decimus casus est. Potest exigere subsidium charitativum. *Ita Barbosa d. cap. 42. num: 83. & ad dictum cap. Illa: tit. Ne sede vacante 22. & in Tractatu de Officio & potestate Episcopi parte 3. allegatione 67. num 13. Novarius d. comment. 38 num: 9. Quaranta ubi supra Quæsit: 8 dum inquit: Capitulum, sede vacante succedit in exactione manualis obedientiæ, quam in quibusdam locis statuto die, Clerus Diœcesis suo Prælato exhibere solent cum muneribus, atq́ ita servari Neapoli testatur. Allegaturq́ pro hoc tex: in cap: His quæ tit. de majoritate & obedientia.*

Limitat tamen *Barbosa dicto cap: 42. num: 84.* Quòd Capitulum nequeat statutum condere, quo tale subsidium, in

futurum ex parte minuatur. *Allegatq; pro hoc Bellent. in tractatu de subsidio charitativo Quæst: 45. Azorium lib: 9. cap: 15 Quæst: 7.*

Vndecimus casus est. Quòd succedat in exequendis ultimis voluntatibus, quatenus id Episcopum jure ordinario, concernebat. *Ita Quaranta ubi supra versu septimo. Barbosa ad dict: caput 42. num, 76 & in tractatu de Officio & potestate Episcopi par. 3 allegatone 82. num 31 Novarius vbi supra num. 5 Doctoresq; ab ijs citati.*

Ampliaturq; quòd possit exigere rationes administrationis Executorum piarum voluntatum, etiamsi sint Religiosi, & piorum locorum. *Ita Zerola in praxi sua parte 2 verbo Capitulum, § 9 Barbosa de Officio & potestate Episcopi par: 3 allegation: 75 num: 6, & eosdem secutus Novarius d. cap. 38. num: 5. Fagnianus par: 1 libri tertij. Decret: ad caput Ioannis, tit: de Testamentis, num: 8.*

Dixi Iure Ordinario. Quia in executione testamentorum jure speciali Episcopo competente, non succedit Capitulum. *Iuxta Pavinum in tractatu de potestate Capituli sede vacante, parte 2 Quæst: 7 ver: Respondeo. & Barbosam d. cap: 42 num: 76.*

Duodecimus casus est. Quòd potest approbare & exponere Confessarios; cum hoc sit Iurisdictionis ordinariæ *Ita Quaranta vbi supra Quæst: 7. Novarius in summa, Bullarij par: 2 comment: 32 num. 9, & alij communiter.* Idq; ampliatur, etiam in Casibus Episcopo reservatis. *Ita Vallensis lib: 3 Decretalium, tit: 9 num, 11.*

Deci-

Decimus tertius casus est. Potest dare licentiam assistendi matrimonio & resistere, juxta formam Concilij Tridentini *cap. 1. sess. 24. tit. de Reformatione matrimonij. Ita Barbosa ad dict. cap. 42. num 86. & ad cap. Illa, tit. Ne sede vacante aliquid innovetur num. 20. Bassæus in verbo Capitulum, num. 10. & alij passim Doctores.* Ratioq; redditur. Quia hoc est Iurisdictionis ordinariæ.

Decimus quartus casus est. Quia potest dimittere denuntiationes requisitas à Concilio Tridentino ubi supra. Nam hoc spectat ad Iurisdictionem ordinariam, ut *patet ex verbis Concilij Tridentini d. cap. 1, sess. 24, de Reformatione matrimonij.*

Ampliaturq; hic casus, quòd & Vicarius Capitularis sede vacante Episcopali possit id facere, ex vi Officij sui, quia venit appellatione Lociordinarij. *Ita Zbrozzius de Officio Vicarij lib. 2, q. 201. Riccius in praxi sua fori Ecclesiastici decis: 25. Stephanus Gratianus in disceptationibus suis forensibus, cap. 83. num, 10. Garzias de Beneficijs par: 3. cap. 8. n. 54. Marcellus Vulpe in praxi sua cap: 15. num. 10. Sperellus decis: 97. & alij communiter.* Quidquid in contrarium scripserint, Menochius de Arbitrarijs Iudicum, casu 453. Cephalus consilio 421. vol: 3. & alij nonnulli.

Decimus quintus casus est Quòd Capitulum sede vacante Episcopali, & Vicarius Capitularis, potest literas ad Episcopum à Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium directas, & ab illo non executas executioni debitæ demandare. *Ita Aldanus in compendio resolutionum Canonica-*

nonica-

nonicarum lib: 2. tit. 3, ubi refert, sic à Sacra Congregatione Episcoporum fuisse resolutum.

Decimus sextus casus est. Potest ex nova dispositione Concilij Tridentini *cap.* 10. *sess.* 7. *tit. de Reformatione*, infra annum à die vacationis Episcopalis sedis, dare licentiam subditis Diœcesis, vacantis suscipiendi Ordines, à quovis Antistite, sed tamen non omnibus, nisi arctatis, respectu beneficij recepti vel recipiendi. *Textus Concilii Tridentini loco citato, qui talis est:* Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra Annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias seu Reverendas (ut aliqui vocant) tam ex Iuris dispositione, quàm etiam cujusvis Privilegij, aut consuetudinis vigore alicui qui Beneficij Ecclesiastici recepti sive recipiẽdi occasione arctatus non fuerit cõcedere. *Et sic tenuit Novar. d. comment: 38, Quaranta ubi supra Quæsit. 10. Piasecki in proœmio praxis suæ Episcopalis num: 21. & par: 1. cap, 1, art 2 num: 21, Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis: 472.*

Ampliatur, ut Capitulum sede vacante Episcopali non possit dare licentiam suscipiendi etiam primam tonsuram, intra annum vacationis non arctatis. *Ita Quaranta ubi supra ver.* 10. *Genuensis in praxi cap:* 87. *num.* 15. *Riccius in praxi aurea par: 2. resolut:* 106. *Barbosa in addictionibus ad cap,* 10, *Concilii Tridentini sess: 7 num: 2 & in tractatu de Canonicis cap,* 42. *à num:* 116 *Garzias de Beneficiis par: 5. cap, 7. num. 95, Doctoresq́ ab iis citati. Ratioq́ redditur à Riccio & Garzia locis citatis.* Quia Concilium Tridentinum *dicto cap:*

10 *sess:*

10. sess 7. generaliter & absolute loquitur, quòd non liceat Capitulis infra annum dimissorias ordinandis concedere. Ergo generaliter & indistinctè, est intelligendum, quoad omnes species dimissoriarum, & quorumcunq; Ordinum. Et ita juxta hanc opinionem censuisse Sacram Congregationem testantur, *ubi etiam Garzias* respondet ad opinionem contrariam & ad declarationes S. Congregationis pro parte & opinione sua allegatas, quem vide. Confirmaturq; opinio supra Doctorum allegatorum. Quia juxta Canonistas prima tonsura dicitur Ordo. *Idem tenuit & Diana in Tractatu quinto de potestate Capituli sede vacante, resol: 14. & sic practicari testatur quem vide.*

Dixi ex nova Constitutione Concilij Tridentini. Quia ante Concilium Tridentinum Capitulum sede vacante absolutè id poterat facere. *ut Quaranta ubi supra Quæsit. 10 per tex in cap Cum nullus, de temporibus Ordin: in texto & in cap sede vacante in cap olim de majoritate & obedientia. Idem scripsit & Piasecki in proœmio praxis suæ ad finem num 21. Doctoresq; ab eo citati.*

Annus autem vacationis sedis Episcopalis in hoc casu incipit currere à die mortis Episcopi, non autem a die Electionis Vicarij Capitularis ut annotavit *Novarinus in summa Bullarij par: 1. comment: 38. num 3. Fagnianus in secunda parte libri primi Decretalium cap significasti de Officio Archidiaconi num 7.*

Dicitur autem arctatus, ratione Beneficij recipiendi. Si aliquis à Patrono præsentetur vel ab alio nominetur ad

aliquod Beneficium Ecclesiasticum vacans & requirens actu certum ordinem quo præsentatus vel nominatus caret. Unde potest Capitulum sede vacante Episcopali etiam infra annum vacationis sedis Episcopalis dare illi licentiam suscipiendi minores Ordines vel saltem primam Tonsuram, vt capax sit illius Benefici, nec frustretur illo, *tenuit Piasecki par: 1. art. 2. num: 21. in praxi sua Episcopali, Barbosa quoq; ad dictum cap: 42. num: 127. sic scripsit:* Arctati occasione recipiendi Beneficij dicuntur, qui habent Ius, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans seu Capellaniam, quod tamen requirit actu certum Ordinem, quo illi carent; vel dicuntur illi qui cum sint Ordinati primâ tonsurâ, sunt præsentati ad Beneficia. Idem annotavit & *Garzias in Tractatu de Beneficiis, parte 5. cap: 7. num: 99. & sequen i, hoc adiecto quòd etiam ille videatur* arctatus occasione Beneficij recipiendi, qui cum non sit ordinatus primâ tonsurâ est præsentatus ad Beneficium. Idem repetijt *par: 7. cap: 1. num: 24. & seq: in illis verbis:* Patronus dicendo præsento talem de proximo clericandum, vel dicendo præsento talem & peto eum ordinari primâ tonsurâ: Tunc enim videtur eum præsentare, ut cum sit Clericus factus instituatur. Et ita erit accipienda declaratio Sanctæ Congregationis Concilij, *super cap. 10. sess: 7. de Reformatione, quæ sic ait:* Vicarius Capituli sede vacante infra annum potest concedere dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est præsentatus à Patronis laicis ad Beneficium Ecclesiasticum Iuris patronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat. Tandem

ibidem

ibidem num. 31. subiungit In casu verò, quo absolutè præsentaretur nondum habens primam Tonsuram, credo præsentationem esse nullam, & factam de indigno, & incapaci quantumvis de proximo clericaretur. Clericatio enim subsequens etiam de proximo non potest retrotrahi ad tempus præsentationis, in quo requiritur, capacitas & habilitas præsentati, cum ex præsentatione, Ius ei quæratur ad Beneficium.

Sic Barbosa ad d cap: 10. Concilii Tridentini sess 7. num 17. Arctatos occasione Beneficij recipiendi illos dicit, qui habent Ius, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans seu Capellaniam quæ tamen requirit actu certum ordinem, quo illi carent, vel Illos qui cum sunt ordinati primâ Tonsurà sunt præsentati ad Beneficia.

Arctati autem occasione suscepti Beneficij dicuntur, si illud Beneficium requirat Ordines Sacros. *ita Piasecki in proœmio praxis suæ num* 21. Vel juxta alios Arctati occasione suscepti Beneficij dicuntur: Qui obtinent aliquod Beneficium, requirens seruitium personale, ratione cujus de Iure consuetudine Privilegio statuto Ecclesiæ, vel ex fundatione, tenentur intra annum, ad Ordines promoveri. *Ita Garzias d. par: 5. cap: 7. num: 98. Barbosa ad d. cap, 10. Concilij Tridentini sess. 7. de Reformatione & d, cap 42. de dignitatibus & Canonicis num, 126. Riccius in praxi aurea resolut: 98, & alii DD.*

Adferuntq; exempla.. Primò in eo, qui obtinuit vg. Canonicatum habentem annexum certum Ordinem. *Ita*

Garzias, Barbosa locis citatis.

Secundum exemplum adfertur in eo, qui obtinuit Beneficium seu Capellaniam, requirentes ex institutione servitium personale, seu aliquem ordinem. *Ita Garzias & Barbosa locis citatis.*

Tertium exemplum. In eo qui obtinet Ecclesiam Parochialem, & est arctatus ad Sacerdotium intra annum *Garzias d. parte 5. cap. 7. num, 98. Barbosa ad dict. caput 10. Concilii Tridentini sess. 7. de Reformatione num:* 16. *& d. cap: 42. de Canonicis & dignitatibus num.* 126.

Quartum exemplum, ubi ordo suscipiendus Beneficio ita annexus est ut tempore Provisionis in eo constitutus esse debeat, qui Beneficium obtinet, sed impetrans dispensatus fuit, ut hoc non obstante, huiusmodi Beneficium posset obtinere, vel ubi in literis contineretur clausulæ vg. Non obstantibus aliquibus, &c. per quæ effectus gratiæ nostræ impediri valeat quomodolibet vel differri vel alia similis clausula. *Ita Barbosa de Canonicis & dignitatibus d. cap, 42. n.* 120. *& ad d. caput 10 Concilii Tridentini, num:* 16.

Quintum exemplum. In eo qui obtinuit aliquod Beneficium vel Capellaniam, quæ ex vi Erectionis certum numerum Missarum per se & non per alium substitutum recitandarum & absolvendatum requirit, *vt colligitur ex Thoma Tamburinio in opusculo de Sacramento Ordinis lib, 7. cap 8. num:* 7.

Declarantur dicta primò Jllum neq; occasione suscipiendi neq; suscepti Beneficij posse dici interim Arctatum,

qui

qui in concursu ad Beneficium curatum, cujus Beneficij collatio à summo Pontifice facienda est judicio Examinatorum electus est. *Ita Barbosa in Tractatu de Canonicis & dignitatibus, cap: 42. num. 127, Garzias d. par: 5. cap. 7. num: 10. dum inquit:* Electus in concursu ad Beneficium curatũ, cujus collatio facienda est à Papa, non potest interim dici Arctatus, neq; occasione Beneficij recepti, quia illud tunc non habet, nec occasione Beneficij recipiendi, quia non requiritur actu Sacerdotium. Et eundem Garziam secutus est Aloysius Ricci in praxi aurea, resolut: 98.

Declarantur secundo, neq; illum ratione Beneficij suscipiendi arctatum posse dici: cui aliquis Beneficium requirens actu ordinem, quo ille caret, resignare vult. *Barbosa in d. Tractatu de Canonicis & dignitatibus cap. 42. num 127. & ad d. caput 10 Concilij Tridentini sess. 7. de Reformatione num. 17. Garzias ubi supra num. 102. Allegaturq; Albusius Riccius in praxi aurea resolut. 98. parte 2. voluminis primi. Ratioq; redditur à Garzia d. num: 102.* Quia hoc est merè voluntarium. Qui tamen *Garzias, ex doctrina Vgolinij in Tractatu de Officio Episcopi cap. 26 §. 20. num: 5. contrarium adfert. Quod Vgolinus dicat, ubi collatio* Beneficij alicui esset facienda, vel per electionem, vel præsentationem, vel per concursum, & necesse esset habere aliquem Ordinem Sacrum, dimissorias Capitulum licitè concederet tanquam arctato occasione Beneficij recipiendi de quo vide.

Declarantur tertiò. Neq; illum posse dici arctatum respectu

respectu Beneficij recepti, ut possit ad reliquos Ordines ordinari, si habeat Beneficium non requirens servitium personale hoc est, ut per se absolvat Missas, sed quod per substitutum datur illi facultas easdem absolvendi. *Ita Tamburinius loco citato à num: 6. dum inquit:* Petes si tonsuratus aliquis, vel quilibet nondum Sacerdos Beneficium habeat simplex, cum libertate satisfaciendi per alium Missas ex Beneficio debitas, poteritne Capitulum sede vacãte dimissorias seu licentiam suscipiendi reliquos Ordines? Respondeo quamvis ijs, qui præsentantur ad Capellaniã aut Beneficium, licet tempus ipsos non urgeat possit Capitulum sede vacante concedere Dimissorias ad primam Tonsuram, ut sic possit potiri Beneficio, *ut vult Pyrrhus Corradus in praxi dispens: Apostol. lib. 4. cap. 4. num 12. & sequ. Ex quo prima Tonsura non sit ordo:* Tamen ad alios Ordines non potest, quando (vt proponitur) Missæ & onera satisfacienda ex Beneficio præstari possunt per alium. Ratio est, quia hic commodiùs quidem præstaret per se, sed non potest dici Arctatus à Beneficio recepto vel recipiendo, nam Beneficium jam recepit, & satisfactionem jam præstare potest per alium, hucusq; Tamburius quæ illius doctrina multis Doctoribus visa est nimis rigorosa, & beneficiato gravaminosa.

Declarantur quarto. Quod Capitulum sede vacante Episcopali potest ante lapsum Anni obtinenti facultatem à Sede Apostolica suscipiendi Ordines à quocunq; Antistite cum approbatione sui ordinarij de vita & moribus hu-

iusmo-

iusmodi facultatem subordinatam seu literas testimoniales dare & concedere. *Ita Navarrus in cons: 19. antiquæ editionis, in novis: autem cons: 27. sub tit: de tempore ordinationum Quaranta in summa Bullarij, sub verbo Capitulum sede vacante quæst. 10, vers: 3 Limita Piasecki noster in praxi sua Episcopali par: 1. cap: 1 num, 25. dum inquit:* Capitulũ quoq; sede vacante ante lapsum Anni vacationis obtinenti facultatem à Sede Apostolica de suscipiendo Ordines extratempora à Iure Statuta â quocunq; Antistite Catholico cum licentia proprij Ordinarij (prout semper in ejusmodi concessionibus clausula hæc de petenda licentia ab Ordinario apponi solet in Curia Romana) facultatem hanc subordinatam concedere. Hucusq; *verba Piasecii, Idem scripsit & Genvensis in praxi sua cap, 87, num. 15. Barbosa in Tractatu de Canonicis & dignitatibus cap: 42. a num: 122. Et in Tractatu de potestate & Officio Episcopi parte 2. allegat. 7. num. 14. Ratioq; redditur ab eo d. allegat: 7. num. 15.* Quia qui à Sede Apostolica obtinuit privilegiũ ad suscipiendos Ordines à quolibet Episcopo non indiget novis literis dimissorijs, sed solum indiget testimonio proprij Ordinarij de vita & moribus. *Subiungitq; amplius* Quod si tale privilegium habens à Sede Apostolica absq; dictis literis testimonialibus proprij Ordinarij ordinetur & promoveatur, remaneat suspensus ab executione susceptorum Ordinum. Et ordinans incurrat suspensionem à collatione ordinum per Annum *Idem scripsit & Riccius in praxi rerum quotidianarum resol: 225. num: 1, Pro qua opinione allegatur*

legatur textus Concil: Triden: cap. 10 sess: 7. de Reformatione & cap 8. sess. 23. de Reformatione, sic Tamburinus loco citat. num: 10. scripsit Quod Capitulum sede vacante Episcopali intra prædictum Annum vacationis potest literas commēdaticias seu testimoniales concedere. Quia hæ literæ non continent licentiam suscipiendi Ordines subjungitq; id certe & maxime advertendum esse; sæpe enim occurrit Vt quis in prædicto Anno primo vacationis impetret Breve Apostolicum per quod promoveri possit, sive à viciniore, sive à quocunq; Episcopo Catholico &c & tunc non obstante ejusmodi Brevi debebit ordinandus petere & obtinere à d. capitulo testimonium suæ vitæ, quòd tunc Capitulum certe dare potest, quia id non est concedere ut dixi licentiam suscipiendi ordines hanc enim prædictus ordinandvs habet per dictum breve à Summo Pontifice, sed solum est testimonium dari de vita & moribus. Et quidem Summus Pontifex solet in eodem Brevi admonere ordinandum, ut has literas testimoniales obtineat à Capitulo in hac vel simili clausula, cum licentia tui Ordinarij, per quam clausulam licet dicatur de licentia, tamen intelligendum esse, de literis commendatijs seu testimonialibus. Quia licentiam ordinum suscipiendorum jam ipse Summus Pontifex concessit. Hucusq; Tamburinus.

Idem scripsit & Gavantus in Enchirid par: 1. sub verbo Capitulum sede vacante, & alii passim Doctores.

Et prædicta extenduntur etiam ad Rescriptum Nuntij Apostolici, si alicui concedat, ut intra Annum sedis vacantis

eantis ordinari possit extra tempora, vt scripsit *Barbosa in Tractatu de Canon: & Dignitat: loco cit. ad finem num: 122.*

Quamvis is idem Barbosa *in d. Tract: de Officio & potestate Episcopi loco cit: num. 16. & in d. Tract. de Canonic: & Dignit: cap. 42. num 122. ex doctrina Monetæ in Tract. de commutatione ultimarum voluntatum cap. 10: num. 182. refert & testatur.* Modernum stylum Curiæ Romanæ esse, ut sede Episcopali vacante dictæ testimoniales literæ dentur ab Episcopo viciniore. Idem refert & Diana *in Tract: 7. de potestate Capituli resolut: 13.*

Hinc inferunt Doctores. Quod Capitulum sede vacante Episcopali possit volentibus studia tractare dare literas testimoniales seu commendatitias. *Ita Zerola par: 1. sub ver: Capitulum, versu* Ad secundum respondetur. *Rationemq; reddit.* Quia hoc non prohibetur à Concilio Tridentino. Unde à Iure antiquo non esse recedendum. *Rationem secundam reddit.* Quia literæ ejusmodi ad studia tractandum non dicuntur dimissoriæ: Quibus commendatur studens Ordinario loci illius, ubi vult literis operam navare.

Sed Genuensis in praxi sua d. cap. 87. num. 16. contrarium scripsit Quòd hodie post Concilium Tridentinum in Canonicatibus Parochis & aliis Beneficijs requirentibus Personalem residentiam requiratur licentia Summi Pontificis, ut tales Clerici & Beneficiati possint ire ad studia tractanda, nullum tamen textum juris vel aliquem Doctorē pro hac opinione allegat.

Novarius quoq; ubi supra comment: 38. scripsit. Quod

E Capi-

Capitulum ſede vacante Episcopali poteſt dare literas teſtimoniales ſeu commendatitias Clericis ad divina celebranda, Sacramenta adminiſtranda, & ſimilia facienda & exercenda.

Declaratur quinto. Quòd Capitulum ſede vacante Epiſcopali non poteſt intra annum vacationis dare licentiam, ut aliquis ordinetur ad titulum Patrimonij ſeu Penſionis. *Ita colligitur ex Doctrina Garziæ in Tractat: de Beneficijs parte 5. cap. 7. num. 93. ex declarat. 4. Sacræ Congreg: Cardinalium. Et ex Barbosa in ſumma Apoſtolicarum deciſionum in collect. 125. num 12. qui tenent.* Quod nec poſt lapſum annum à die vacationis Sedis Episcopalis id poſſint facere allegando ſuper hoc declarationem Sacræ Congregat: Cardinalium Concilij Tridentini. Ubi tamen ſubjungunt. Id non eſſe receptum ſaltem in Regnis Caſtellæ & Portugaliæ. Unde in hoc caſu consuetudinem & praxim loci & Diœceſis eſſe attendendam ſcripſerunt.

Declaratur ſextò. Quòd Capitulum habens Territoriū diſtinctum & exemptum ab immemorabili tēpore poſſeſſionem & Iurisdictionem Ordinariam in Iudicando. non poſſit ante lapſum Anni à die vacationis ſedis Epiſcopalis dimiſſoriales, ſeu licentiam dare ſuſcipiendi Ordines, qui non eſſent arctati, ut ſupra. *Ita Quaranta d. quæſt, 10.* verſu quam diſpoſitionem ampliando. Ita reſcriptum fuiſſe à Sacra Congreg: Capitulo Salmantino referunt. *Idem ſcripſit & Barbosa ad d. cap. 10. Concil: Trident: ſeſſ: 7. num. 14. & cap. 10. Conc: Triden: ſeſſ: 23. de Reformat: à num.*

13 vide-

13 *videatur & Gravianus in discept: forensibus cap*, 212.

Declaratur septimo Quòd Capitulum sede vacante Episcopali non potest Clericis dare Dimissoriales vt absolvantur ab Episcopi potestate & in aliam Diœcesim se transferant. *Ita Fagnian: par: 2, lib. 1. Decretalium, in cap significasti sub tit. de Officio Archidiaconi num: 3 & in cap. His quæ sub tit: de majoritate & obedientia num. 59. d. par: 2. lib: 1. Decret: ubi rationem reddit.*

Notandum hic quod si Capitulum sede vacante Episcopali, à casibus Iure non permissis audeat dictas dimissorias seu licentiam suscipiendi etiam Minores Ordines ante Annum à die vacationis sedis Episcopalis concedere, subjacet Interdicto. Ordinati autem ad Minores Ordines nullo privilegio Clericali (præsertim in causis criminalibus) gaudeāt, ad majores vero Ordines promoti ab exercitio seu executione eorundem Ordinum suceptorum; ad beneplacitum futuri Episcopi ab ipso jure sint suspensi. *Text. est expressus in d, cap: Concil, Triden: sess: 1 de Reform. Capitulum autem contraveniens, Ecclesiastico Interdicto subiacet; & sic ordinati, si in minoribus constituti fuerint nullo Privilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudeant. In minoribus vero Ordinibus constituti ab executione Ordinum susceptorum ad beneplacitum futuri prælati. Ipso Iure sint suspensi* Hucusq; verba Concil: Triden: Idem scripsit & Riccius, in praxi rerum quotidianarum, *resol: 135 num. 11.*

Et dictam pænam Interdicti incurrit etiam & Vicarius à Capitulo sede vacante Episcopali constitus, si intra dictū

Annum (ut ſupra) dictas dimiſſorias, ſeu licentiam ſuscipiendi Ordines concedat non arctatis. Non tamen pænam ſuspenſionis per Annum de qua pœna, *in cap: 10. ſeſſ. 7. & cap. 10. ſeſſ: 23. mentio fit. Ita Franciſcus Leo in ſuo Theſauro par: 3. cap. 8. num. 4. Barboſa ad d: cap: 10 ſeſſ. 7. de Reform. à num: 18. & ad d: cap: 42.* in d. Tract: de Canonicis & Dignitatibus *num:* 130 Videatur & Fagnian, *d. par: 2 lib.* 1. *Decretalium, ad d. cap: ſignificaſti, de Officio Archidiacon à num. 7 quem vide.*

Quamvis Piaſecki noſter in praxi Epiſcopali *par* 1. *cap:* 1. *art* 2. *num:* 23. Videtur contrarium ſentire quoad Vicarium Capitularem quod non pœnam Interdicti, ſed ſolum pœnam ſuſpenſionis ipso facto ab Officijs & Beneficijs per Annum Incurrat fundatq; hanc opinionem ſuam *in text. Triden: in d: cap, 10 ſeſſ, 23, de Reform*

Ampliaturq; Quòd Capitulum ſede vacante Episcopali, & Vicarius à Capitulo conſtitutus dictam pœnam Interdicti *in d. cap. 10 ſeſſ. 7 de Reformat. incurrat.* Quamvis is cui dimiſſoriæ ſeu licentia ſuscipiendi Ordines conceſſæ ſunt, non ſit illis uſus. *Ita Barboſa ad d. cap. 10, ſeſſ. 7. num. 19. & ad cap: 10 ſeſſ: 23, de Reformat: & in d: cap 42, num,* 13. Ratio redditur. Quia Actus fuit perfectus quo ad concedentem per quem non ſtetit. Sed Diana *in Tract: 5, ſub tit. de poteſtate Capituli ſede vacante reſol. 12. contrarium ſentit. Rationemq; reddit.* Quia pœna pro aliquo delicto impoſita regulariter non incurritur, niſi poſt opus conſumatum, id eſt in noſtro caſu poſt uſum prædictarum litera-

literarum, cujus opinio videtur valde esse probabilis.

Notandum. Quòd Clerici in minoribus Ordinibus constituti dictam privationem privilegij non incurrant ipso facto seu Iure, sed demum post declarationem Iudicis juxta Constitutionem *Vrbani 8vi Papæ contra male promotos latam.* Ita Franciscus ubi Barbosa *ad d. cap: 42. num:* 131. Ratio redditur. Quia Concil: Triden: d. sess. 7. usum est verbo gaudeant, quod est futuri temporis ac proinde vigore dispositionis illius non videtur infligi dicta pœna ipso Iure.

Quærunt adhuc Doctores. An ejusmodi Clerici possint habere & obtinere Beneficia Ecclesiastica. *Quaranta in summa Bullarij sub verbo Capitulum sede vacante quæsi 10. versu hinc contingit dubitare,* affirmat quod hoc privilegiū non amittit ipso Iure, sed solum post sententiam Iudicis vel executionem. Rationem reddit. Quia taliter ordinatus ex mente Navarij consl: 20. sub tit. de tempore ordinan: in antiquis. Hinc infertur. Quod possit habere & tenere Beneficium antequam per sententiam privetur, & quod capax sit illius. Idem sentire videtur & Barbosa *ad d. cap. 10. Concil. Triden: sess 7. & expresse tenet Diana in d. Tract. 5. sub tit. de potestate Capituli sede vacante Episcopali resolut: 15.*

Quærunt secundo. An si Episcopus sit notoriè hæreticus possit Capitulum dare dimissorias, seu licentiam suscipiendi Ordines, *juxta d. cap. 10 Concil: Triden: sess 7. Fagnianus in par: 2. lib: 1. Decretalium ad cap: His quæ, sub*

tit,

tit: de maioritate & obedientia à num: 62. concludit affirmative atq; sic à Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Trident: Interpretum fuisse declaratum refert.

Ubi aliud dubium movet. Quod si Canonici propter hæresim sint dispersi, & nequeant convenire aut convniri sine difficultate, an sufficiat habere literas dimissorias ab uno aliquo Canonico Ecclesiæ Cathedralis, aut omnino sine dimissorijs literis? Refert, sic à Sacra Congreg: fuisse declaratum. Et quidem ad primam partem dubij. Quod sufficeret habere dimissorias à residentibus Canonicis etiamsi unus tantum resideret, ob rationem. Quia Ius Capituli etiam in uno conservatur. *juxta Glossam penultimam in cap. Grat: sub tit: de postulatione Prælatorum ibiq; Abbatem num. 9.*

Ad secundam autem partem dubij refert à Sacra Cōgregatione responsum fuisse. Neq; viciniorem Episcopum, neq; Metropolitanum posse audiri, sed adeundam esse Sedem Apostolicam.

Quærunt tertio An Capitulum sede Episcopali vacante vel ejus Vicarius concedens intra Annum vacantis sedis Episcopalis dimissorias alicui pro suscipienda prima Tonsura incurrant pœnam Interdicti, vel suspensionis ut supra? Ad quod quæsitum patet responsio ex casu 16 superius posito. Addo tamen. Quod Novarius in summa Bullarij *par: 1 comment. 38. à num 37 versu* Et proinde dato non concesso scripsit. Nec Capitulum, nec eius Vicarium incurrunt pœnam Interdicti, nec ordinatam pœnam suspensionis

nis licet secus quo ad alios Ordines ubi etiam à num. 37 defendit quendam Episcopum, qui vigore Brevis Apostolici ordinato dati ut à viciniore Episcopo posset ordinari, dictus Episcopus eundem ad primam tonsuram ordinaverat, ab'q; literis testimonialibus Capituli de natalibus ætate vita, & moribus, ac alijs requisitis Ordinandorũ, quod dictus Episcopus ordinans nullam pænam suspensionis incurrit. Apud quem plura Lector videre potest, Faciunt ad hoc quæsitum quæ Riccius in praxi Rerum quotidianarum Resol: 235. *Zerola in praxi Episcopali par.* 1 *sub verbo dimissoriæ, versu ad secundum videtur, scripserunt.*

Quærunt quarto. An regulares ante lapsum Anni sedis Episcopalis vacantis possint ordinari, nec ne? Jn hoc quæsito non conveniunt Doctores siquidem *Quaranta ubi supra quæsito* 11. *versu Adverte testatur.* Quod Vicarius Capituli Nepolitani non soleat Episcopo externo concedere, ut possit, intra ejusmodi annum Regularibus Diœcesis Neopolitanæ, conferre Ordines, etiam prævio examine per ipsum Vicarium. *Idem refert* & Piasecki *noster in praxi sua Episcopali, in proœmio eiusdem ad finem num,* 21. *Barbosa quoq; in d. Tract: de Canonicis & dignitatibus cap:* 24. *num.* 121. *absolute scripsit.* Quod Capitulum durante dicto anno non potest dare licentiam Episcopo commorãti in Civitate vel Diœcesi, ut ordinet Regulares etiam prævio examine per ipsum Vicarium facto. Idem scripsit & in Annotationibus *ad d. cap.* 10. *Concil:* Triden: *sess:* 7. *de Reformatione num:* 3. Ratioq; huius opinionis videtur esse. Quia

Conc:

Conc: Triden. *d. cap. 10, ſeſſ: 7* generaliter loquitur, & omnia Privilegia tollit, ut patet ex contextu dicti capitis.

Themudo autem in Deciſionibus Archiepiſcopalibus *par: 1. decis: 89. à num: 3. Antonius Portellus in Reſponſis moralibus num. 2 caſu 71. ut illos refert Diana ubi ſupra reſol: 10. Tambur ubi ſupra num: 11. contrarium ſentiunt.* Ratioq; redditur à Tambur. Quia Regulares non indigent dimiſſorijs, ut ipſis illas concedere debeant Epiſcopus & Capitulum ſede vacante Epiſcopali, in cuius Diœceſi ipſi Regulares commorantur. Sed ſatis eſſe, ſi ipſi Regulares habeant dimiſſorias à ſuis Prælatis, poterunt ordinari, etiam in eadem Diœceſi in qua ſedes Epiſcopalis vacat ab aliquo Epiſcopo, qui forte ex licentia Capituli ibi Pontificalia exercet & multo magis ab alijs Epiſcopis, quando in ſuis Diœceſibus ordinationem celebrant. Allegaturq; pro hac opinione. Quintanada *in Tract. de Ordin: ſingulari 8, & Pyrrhus Corradus in praxi diſpenſationum lib. 4. cap: 6. num: 16. Idem annotavit & Piaſecki noſter in praxi ſua Epiſcopali par: 1 cap: 1 ar. 2 ad finem num. 22.*

Nec obſtat Concil: Triden: *d cap 10 ſeſſ 7* Quia loquitur de Clericis Secularibus. Non autem Regularibus. Ita Piaſecki & loco citato Et Themudo loco citato, aliam rationem & reſponſionem adfert. Quia Concilium prohibet tantum, ne liceat Capitulis Eccleſiarum ſede vacante intra Annum à die vacationis ſedis Epiſcopalis licentiam ſeu literas dimiſſoriales, vel ut aliqui vocant Reverendas concedere Clericis, non autem ne concedat

licen-

licentiam Episcopo externo apud ſe commoranti, vel ſuo Epiſcopo tutelari intra annum vacationis ſedis Epiſcopalis conferendi Ordines: quæ ſunt inter ſe diſtincta.

Quæ ſententia confirmatur per declarationē Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini de mandato Clementis Octavi Summi Pontificis factam; quam refert Piasecki *in praxi ſua Epiſcopali par. 1. cap. 1. art 2 num 24* & Genuen: *in praxi ſua Archiepiſcopali cap 81. num 1.* Cuius declarationis Cardinalium Concilij Triden. tenor talis eſt.

Congregatio Concilij cenſuit, Superiores Regulares ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuscipere voluit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cujus familia ab ijs ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: Et ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes ad quemcunq; alium Epiſcopum, (dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quo ad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarū in id tempus, quo Episcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes, vel ſedes Episcopalis vacaret. Verum cum à Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano absente vel ordinationes non habente literæ dimiſſoriæ dabuntur in eis, utiq; huiusmodi cauſam abſentiæ Diœcesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterijs nullius Diœceſis, huiuſmodi

 dimiſſo-

dimissorias concedendas esse ad Episcopum viciniorem in eoq; procedere omnia quæ de Episcopo Diœcesano superius præscripta sunt Quod qui non fecerint officij & Dignitatis seu Administrationis, ac vocis Activæ & passiuæ privationis ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi D. N Papæ reservatas pœnas incurrent. *In quorum fidem datum Romæ die 15 Martij. Anno D. 1596. Hucusq verba declarationis allegata, quam Pialecius noster refert, & Lezana volum: 1. cap, 24. num: 12.*

Notandum tamen est. Quod dictas dimissorias potest Vicarius Capituli sede vacante Episcopali concedere, si Capitulum id ei expresse concedat. *ita Pialecki ubi supra.*

Advertit quoq; primo Tamburinus loco citato num 14 Quod licet in dicta Declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Triden: duæ conditiones pro validitate dictarum Remissoriarum sub pœnis ibidem expressis sunt appositæ. Quarum prima est. Quod tales literæ dimissoriæ non dirigantur, nisi ad Episcopum illius Diœcesis, in qua habitat Religiosus ordinandus. Nisi forte is Episcopus abfuerit, vel Ordines non celebraverit; secunda conditio est, ut in dimissorijs hoc ipsum exprimatur.

Tamen hocce Decretum Clementis 8vi Summi Pontificis innuit, non videtur usu receptum esse cum Prælati Regulares non soleant ipsum observare.

Idem scripsit & Portellius in dubijs Regularium *sub verbo Ordines Sacri num* 1 ubi testatur dictum Decretum Clementis VIII. Summi Pontificis in Regno Hispaniæ non esse receptum.

Adver-

Advertendum secundo ex Tamburino *loco citato*, Quod à Superioribus Societatis Iesu localibus non potest dari licentia suscipiendi Ordines seu concessionem dimissoriarũ, sed solum à Provinciali.

An autem Superiores locales aliarum Religionum ampliorem potestatem habeant, scripsit Idem Tamburinus illorum praxes & ordinationes esse videndas.

Advertendum tertio, Circa dictum decretum Clemẽtis VIII Summi Pontificis, quod in illo expressum est, quod Episcopus Ordines collaturus Regulari debeat illum quo ad doctrinam examinare. Hoc tamen non obstante Ordines collaturus Regularibus potest, si vult non examinare, non solum quando notorie literatus fuerit, sed etiamsi id sibi non constet conformando suam conscientiam cum conscientia Prælati Regularis, de sufficientia ordinandi. Ita Lezana volum: 2 in summa quæst: allegat: Regularium sub verbo Ordines Sacri, *num*, 13. *& Doctores* ab eo allegati, ut pote Villalobos, *tom*: 1, *summæ suæ Tract*, 11 *difficul*, 14. *num*: 5 *Portellus & alij*.

Quod etiam in aliquibus Diæcesibus nostris. Nam licet Regulares statis temporibus Ordines suscipere volentes debeant se examini Examinatorum Diœcesanorum subijcere tamen Examinatores ad examen eorundem non descendunt, sed attestatione Superiorum suorum de sufficientia & idoneitate ordinandorum visa fidem dant.

Patres tamen Societatis Iesu ad majorem cautelam, & ad effugiendum examen Diœcesanorum obtinuerunt sibi ab

Innocentio Papa libertatem à tali examine, prout & mihi Archidiacono Posnaniensi dictam libertatem ab Innocentio Papa Typis mandatam præsentarunt.

Advertendum quarto. Quod Rugulares debent Ordines suscipere ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sunt Monasteria, in quibus degunt & sunt assignati vel dimissorias ab illis recipiant *juxta capu. 8 Concilij Tridentini sess 23 de Reformatione*, de quo videatur Genuensis in praxi sua Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ *cap: 83 num.* 1. vt patet ex dicta declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini de mandato Clementis VIII. Summi Pontificis facta.

Advertendum quinto. Quod Abbates & alij quicunq; Superiores Regulares quantumvis exempti non possunt dimissorias concedere nisi Monachis sibi subiectis idq; sub pœna suspensionis per Annum à Beneficio & Officio ipso Iure incurrenda, *Ita Piasecki noster in praxi sua Episcopali par:* 1. *cap:* 1. *art:* 2. *Idq; per text in cap* 10 *Concil; Triden. sess;* 23 *de Reformatione.*

Amplius addit Piasecki loco citato, Quod obstante dicto textu Concilij Tridentini *cap* 10 *sess,* 23. Neq; exempti seu Abbates, qui nullius Diœcesis sint, seu habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem possint dare dimissorias nisi suis Monachis, atq; ita Seraphinum Auditorem Rotæ Romanæ ad requisitionem Sacræ Congregationis Cardinaliũ Concilij Tridentini *decis, 985 decidisse refert Idem & Riccius in praxi sua cap 83. à num, 9.*

Unde

Unde tales Exempti juxta dispositionem Concilij Trid: *cap. 9 sess. 23. de Reformat.* debent se gerere, ut videlicet ad viciniorem Episcopum, vel ad eum quem semel elegerint, remittant Monachos sibi subiectos pro suscipiendis Ordinibus. *Ita Pialecki loco citato, & Lezana ubi supra num. 10. ad quos in occurrentia licet recurrere.*

Placet hic inserere quæ *Lezana Tomo* 1. *cap*, 14. *de obligatione: Regul:* in susceptione Ordinum annotavit, quod his temporibus standum esse, moderniori decreto Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini, quod decretum de mandato Jllustrissimi & Reverendissimi Domini Francisci Paulutij Ejusdem Sacræ Congregationis Concilij Tridentini publicatum est tenoris sequentis.

Jn una Cataniensi die 23 Mensis Novemb: Anno Dni 1641 Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Conclij Tridentini Interpretum utraq; parte Informante ore & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis mature discussis inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Mensis Aprilis Anno Domini 1592. coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, nec non declarationibus ipsius Sacræ Congregationis dictæ decisioni conformibus subsecutis censuit improbata contraria opinione Abbates Regulares etiam Benedictinos Congregationis Cassinensis seu alterius Congregationis vel ordinis, aut Instituti habentes etiam Iura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumq; mitræ & baculi, ac facultatem primam Tonsuram, Minoresq; Ordines conferendi non posse d. imam Tonsuram nec alios Minores

nores Ordines, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis Ordinis, vel instituti etiamsi habeant dimissorias suorum Superiorum Regularium & consensum Loci Ordinariorum intra quarũ Diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt. Et multo minus Personis Secularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinarijs. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis Episcopis, & alijs Prælatis Inferioribus tam Secularibus quam Regularibus, ut in futurum concedere non audeant supra dictas literas dimissorias hujusmodi Abbatibus directas nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes à collatione ordinum, ipso jure suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis reservatas. Quam declarationem Sanctissimus Dominus Noster die decima septima Ianuarij Anno Domini 1642. ad se cum rationibus relatam approbavit, & inviolabiliter observari jussit.

Subscriptio vero talis
Petrus Aloysius Cadinalis Caraffa
Franciscus Palutius Sacræ Congregationis Secretarius.

Idem scripsit & Barbosa *ad cap:* 10. *Concilij Triden: sess.* 23. *de Reformat: num.* 2 *&* 5 *dum inquit.* Abbates Regulares habentes Ius Baculum, & mitram deferendi etiam postquam Sacerdotalem ordinem & munus benedictionis susceperint, non posse primam Tonsuram, & Minores Ordines alijs Regularibus qui dimissorias speciales suorum Superi-

Superiorum, & etiam ſpecialem licentiam Epiſcopi loci habuerint, nec etiam alijs Secularibus ſuorum Superiorum dimiſſorias adferentibus. Adfertq; pro hac opinione Ludovicum Mirandum Scipionem de Rubeis Hieronymum Rodericum, & alios Doctores, idq; ex voto Rotæ Romanæ de mandato Clementis VIII. Summi Pontificis reſponſum fuiſſe per Seraphinum deciſ: 985. par: 1 deciſionum ejuſdem Seraphini. Et ſic Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium in Eugubina tertia die Menſis 8bris Anno Domini 1593. cenſuiſſe. Et in cauſa Camplen: die 22 Iunij Anno Domini 1631. contra nonnullos Doctores contrarium tenentes, quos ibidem refert exiſtimantes falſoq; deciſum referentes Abbates Regulares habentes Jus Baculum & Mitram deferendi poſtquam Sacerdotalem Ordinem, & munus benedictionis ſusceperint, poſſe Tonſuram & Minores Ordines Secularibus Iurisdictioni Epiſcopi ſubjectis conferre, ſi modo Ipſius Episcopi conſenſus accedat. Et à dicto Episcopo dictas literas quisq; dimiſſorias impetraverit, Ita Barbosa loco citato ubi plura in hac materia numeris ſequentibus. & Fagnianus in cap ſignificaſti, par: 2 de Officio Archidiaconi, & præsertim num: 10. ubi ampliat etiamſi probetur Abbatiam eſſe in ſtatu nullius Diœceſis.

Notandum 1mo. Quod contra Abbates & alios quoſcunq; exemptos dantes dimiſſorias alijs, quam ſuis ſubditis Regularibus pœna ſtatuta eſt ſuſpenſionis totalis per Annum, ut Barbosa annotavit in annotationibus ſuis ad dictum *cap. 10. Concil. Triden: ſeſſ: 23. num. 20.*

Notan-

Notandum secundo. Quod Novitij non possunt Minores Ordines suscipere à suis Abbatibus Regularibus Ratio redditur, Quia pendente anno probationis non habentur suorum Superiorum Religionis pro subditis ad suscipiendos Ordines Ita *Barbosa ad d. cap:* 10, *Concilij Triden. sess.* 23. *num:* 3. *Et in Tract: de Officio & Potestate Episcopi par:* 2 *allegat:* 3. *num:* 8. Idem scripsit & Stephanus Gratianus in disceptationibus suis forensibus *in cap,* 741. *num:* 6. Doctoresq; ab eo allegati contra Soarez *in Tract: de Religione tom:* 4. *Tract.* 8 *lib,* 2. *cap:* 29. *num,* 12. *per glossam in cap, Abbates sub verbo Convolaverint tit: de Privilegijs lib.* 6. existimantem: Abbates hujusmodi posse Minores Ordines Novitijs suorum Monasteriorum conferre.

Sic etiam & Lezana ubi supra *num:* 20 de Novitijs Religionum scripsit. Novitij Religionum si volunt ordinari observare debent decretum Concilij Triden: *in cap:* 2. *sess* 21 *de Reformat* ubi præcipitur. Ne quis deinceps Clericus Secularis quamvis sit alias idoneus moribus scientia & ætate ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat pacifice possidere. Rationemq; reddit. Quia ita determinavit Pius V. Summus Pontifex in Bulla sua quæ incipit Romanus Pontifex *Tom* 2. Bullarij. Bulla huius Pontificis *num* 75 Vbi sub gravissimis pœnis prohibet Religiosos sive Regulares more Religiosorum in communi viventes non Professos ordinari posse non servata forma prædicti Concilij Tridentini allegatq; Gavan-

tum

tum in Enchiridio ſeu in manuali Epiſcoporum ſub verbo Ordo in genere *num*: 29 dum inquit. Regulares non Profeſſi tenentur iiſdem legibus quibus Clerici Seculares in ſuſcipiendis Ordinibus, ut Pius V. Summus Pontifex Anno Domini 1568 ſtatuit. Et Novitius non dicitur habere domicilium in Diœceſi Novitiatus.

Tamburinus quoq; loco citato *num*: 13. ſic ſcripſit: Prælati Regularium Exemptorum poſſunt concedere dimiſſorias ſuis ſubditis imo & Novitijs, ſed his cum Patrimonio, vel Beneficio non autem ad titulum Paupertatis, ſed in his non immoror. Nam hodie Novitij Regularium non ordinantur, ſed ſolum Profeſſi.

Jd ſolum ſubnecto. Quòd Capitulum ſede vacante poteſt dare licentiam Novitijs diſponendi de eorum Bonis temporalibus intra duos Menſes ante Profeſſionem juxta diſpoſitionem Concilij Triden: *cap.* 16: *ſeſſ.* 25. *de Regularibus. Ita Diana ubi ſupra Reſol.* 34. *Barbosa parte* 3. *de Poteſtate Epiſcopi allegat* 99. *num.* 4. *Doctoresq́ ab eo citati.* Ratio redditur. Quia Epiſcopus Iure ordinario poteſt id facere, ut patet *ex d. cap:* 16 Concilij Triden: ſed Capitulũ ſede vacante Episcopali ſuccedit in omnem Iurisdictionem Ordinariam Epiſcopo competentem, *ut ſupra in prima par: ſcripſimus. Ergo*

Notandum & hoc. Quod & ſi Capitulum ſede vacante Episcopali, vel Vicarius Capituli non poſſit intra Annũ vacantis ſedis Epiſcopalis concedere dimiſſorias ſubditis ſu-

is ad ſuscipiendos Ordines nihilominus poterit intra eundem Annum per alium Epiſcopum Pontificialia exercentē ordinare ſuos Diœceſanos, vel habentes dimiſſorias. *Ita Diana in Tract. 5. tomo 3, ſub tit: de Poteſtate Capituli ſede vacante Episcopali, Reſolut: 11 & Navarrus Conſ: 27. ſub tit: de temporibus Ordinationum. Ferrar: de Ord. c. 5 ver: 4 num: 7. Molfeſius in ſumma Tract: 2. cap: 2. num: 28.* atq; ſic à Sacra Congregatione fuiſſe reſolutum referunt, Licet Quaranta contrarium teneat. Et Piaſecki noſter *in praxi ſua Epiſcopali par: 1. cap: 1: art. 2. ad finem num. 22.*

Notandum & hoc, quod gratiæ per mortem concedētis non expirant, ut habetur *in cap: ſi ſuper gratia, tit: de Officio Delegati, lib. 6 Decretalium,* niſi per Succeſſorem fuerint clare, & non per conjecturas revocatæ. *Ita Genuenſis cap: 87. num: 39* Unde refert, quod non expiret mortuo Epiſcopo Dimiſſoria ad Ordines. Nec licentia audiendi confeſſionem, niſi fuiſſet conceſſa ad Beneplacitum, *juxta cap: ſi gratiæ de Reſcript: in 6to.* & licentia diſpenſandi non expirat per mortem Papæ. *Navar: Conſil: 1mo de Privilegijs.* Caſus autē reſervati expirant: quia ſolent reſervari ipſi Epiſcopo qui mortuus eſt.

Decimus ſeptimus caſus eſt. Poteſt Capitulum diſpenſare in omnibus caſibus in quibus Epiſcopus ejus poterat diſpenſare. Quia nullibi id prohibitum videtur eſſe capitulo. Et ſæpe expediat has diſpenſationes facere, ut colligitur *ex can: Domino Sancto ubi & gloſſa ſub verbo neceſſe, &*

in can:

in can. ut constitueretur distin: 50. Ratioq; redditur Quia dispensatio regulariter procedit â Iurisdictione ordinaria, & fit cum causæ cognitione. *Ex quo*

Infertur primò. Quod Capitulum Cathedrale vacante sede Episcopali potest dispensare cum illegitimo, ut possit Beneficium simplex obtinere, vel Ordines, *Piasecki cap: 1. art: 2 num. 21. Corradus in praxi Beneficiaria, lib: 2 cap 12. à num. 90,* atq; ita in praxi servari testatur maxime si justa causa dispensandi subsit, *Zerola in praxi par: 2. sub verbo Capitulum. § 3. & alij passim Doctores.*

Infertur secundò. Quod Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopali potest dispensare & absolvere in casibus Episcopo à Concilio Triden: *cap 6. num 14.* de reform, concessis. Videlicet in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus: excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario & exceptis alijs ad forum contentiosum deductis, & in quibuscunq; casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis quoscunq; delinquentes sibi subditos in sua Diœcesi, sed tamen solum in foro conscientiæ. *Ita Barbosa ad d. cap: 7 sess 14. num: 8 litera B. Doctoresq;* ab eo citati, inter quos ponit & Piaseccium, nostrum in praxi sua Episcopali, *par 2. cap: 1. n. 18. Idem Pias.* Ubi adfert Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini cura sua obtentam tenoris sequentis.

Quæritur pro parte Episcopi Camenecensis per EE VV.

 decla-

declarari, an facultas competens Episcopis vigore Concilij Tridentini *cap. 6. sess. 24 de Reform.* transferatur in Vicarium Capitularem sede Episcopali vacante die 4. Decembris 1632, Sacra Congregatio Candinalium Concilij Tridentini Interpretum inhærendo declarationibus alias factis, respondit: Episcopos vigore *d. cap. 6.* non posse absolvere nec dispēsare in casu hæresis, neq; in alijs nova lege post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis; verum in casibus in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam vtiq; transferri in Vicarium Capitularem sede Episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per Capitulum sede Episcopali vacante, eidem Vicario tributa fuerit. Idem scripsit & *Garzias in Tract. de Beneficijs parte 5. cap. 7. num. 40.* & alij Doctores attestantes sic fuisse à sacra Congregatione EE. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum aliquoties declaratum. Ratio huius opinionis est. Quia licet illa facultas Episcopis per Concilium concessa videatur, illos concernere jure speciali Concilij Trid: (ut contraria opinio existimat) tamen competit Episcopis jure communi & Iurisdictione ordinaria tributa illis per dicti Concilij Triden: decretum. Capitulum autem Cathedrale sede vacante Episcopali succedit Episcopo demortuo in omnibus casibus, in quibus Episcopus potest jure ordinario facere, ut supra scripsimus. Ergo quidquid sit stātibus declarationibus EE. Cardinalium Concilij Trident: Interpretum opinio contraria debet cessare.

Adiungo

Adjungo quod licet *in d. cap. 6.* Episcopis videatur esse concessa facultas disponendi & absolvendi ab hæresi occulta, nec ad forum contentiosum deducta, tamen hodie id minime ipsis licitum esse consequenter nec Capitulo competere, siquidem hæc facultas per Bullam Cænæ Domini sit revocata. *Ita Barbosa ad d. cap. 6 num. 52.* Doctoresq; ab eo citati, atq; ita in supremo Tribunali Romano Sacræ Inquisitionis fuisse pronuntiatum refert Penna in Directorio Inquisitionis *par: 3 quæst: 92. comment: 141.* Et per Gregorium XII. Summum Pontificem sic fuisse respōsum testatur *Fusius de Visitat: lib: 2 cap: 31.* Facit & declaratio Cóngregationis Concilij Tridentini ex Piasecio paulo superius à nobis allata.

Decimus octavus casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante dare facultatem Episcopo externo in Ecclesia sua Cathedrali, vel in alio loco Diœcesis Pontificalia exercendi, hoc est Ordines conferendi olea sacra & chrisma conficiendi, & benedicendi Ecclesias, Altaria, Calices, Campanas, & alia similia consecrandi & bebenedicendi. *Ita Quaranta ubi supra quæsito 11.* subnectitur congrue *Garzias parte 5. cap. 7. num 93. Genuensis d. cap. 87. num. 33. Piasecki noster in Proæmio praxis suæ Episcopalis num 21. & alij DD.*

Decimus nonus casus est. Potest Capitulum dispensare in votis & petionæ debiti, in quibus Episcopus poterat jure ordinario dispensare. *Ita Barbosa de Cononicis & Dignitati*

tatibus cap: 42 Genuensis d, cap: 87. num 11. videatur Tamburinus lib. 3. cap 7. § 3. à num. 6. & in eodem libro 3, cap 16. § 4. num: 4.

Vigesimus casus est. Quod Capitulum succedat in Indulgentijs concedendis. Cum illæ potius Iurisdictionem quam ordinē concernere videant. *Barbosa in d, cap 42 n. 91, Tamburinus lib: 3 cap: 7. § 3. à num. 5 & eodem libro 3. cap. 42. num 91. & in Tract. de Officio & Potestate Episcopi par: 3 allegat 88. num: 21* præsertim si Capitulum hoc haberet ex consuetudine affirmat Doctoresq; ab eo citati, idq; *per textum in cap: cum ex, eo tit: de Pœnitentia & remissione.*

Sed Bassæus sub verbo Capitulum *num: 9* contrarium scripsit & hanc opinionem probabiliorem esse dixit. *Idem tenet Bonacina tomo 1. disput: 6, quæst: 1 pun. 3. num, 23 & alij Doctores* Rationemq; reddunt inter alias rationes: quia hoc videtur esse Iurisdictionis extraordinariæ, in qua Capitulum non succedit præsertim in ijs quæ reservata sunt dignitati Episcopali. *Idem sentit & Fagnanus ad d. cap. Illa, num: 14* Rationemq; dat, quia hoc est Iurisdictionis voluntariæ & gratiosæ in qua Capitulum non succedit. Vide quæ infra *parte 3 casu 5. scripsimus.*

Vigesimus primus casus est. Quod Monasterio vacanti potest dare Oeconomum seu Administratorem, Ita Piasecki noster in praxi sua Episcopali *par: 2. cap. 5. art: 2. n. 65. idq; per text: in cap: finali de statu Monachorum.*

Vige-

Vigesimus secundus casus est. Quia Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante potest Beneficia simplicia in commendam dare ad certum tempus, hoc est ad sex Menses. *Ita Novarius in Bullario par. 2. comment: 32. Barbosa in d. cap 42. num, 94. Bassæus sub verbo Capitulum num: 5. ubi* subiungit, & si interim Episcopus non eligatur & confirmetur possit tempus illud prorogare allegatq; Rebuffum *in praxi sua par. 1. tit: de devolutionibus num, 77. Piasecki d. cap 5 num, 55. Vallensis lib: 3. Decretalium cap, 9 num: 5.*

Ampliatq; Barbosa loco citato etiamsi collatio eiusmodi Beneficij spectet ad collationem solius Episcopi idq: sive vacet in mense Episcopali vel etiam Summi Pontificis.

Ampliatur secundo. vt etiam Beneficia curata Iurispatronatus laicis commendare ad tempus quousq; non fuerit provisum à Patronis.

Si autem Beneficia fuerint Parochialia spectantia ad solam collationem Episcopi Capitulum sede vacante Episcopali non potest illa commendare cum sint reservata sedi A-Apostolicæ scripsit *Lotterius in Tract. de Re beneficiaria par. 2. quæst. 2. Fagnanus lib. 3. Decretalium, par: 1 in cap Illa, à num. 15, tit. Ne sede vacante* quem vide. Vbi scripsit, à principio allegati capitis. Quod scilicet Beneficia spectantia, ad collationem solius Episcopi Capitulum sede Episcopali vacante, non possit conferre, tamen secus si fuerint simultaneæ Collationis Episcopi & Capituli vel ad solum

solum Capitulum Collatio pertineret *Idem scripsit & Piasecki noster d. cap 5 n: 65.* & quod Ecclesiæ Cathedralis præbendæ de Iure præsumantur simultaneæ Collationis Episcopi & Capituli nisi alia sit cuiusq; loci consuetudo,

Jtem dictus *Fagnianus in d: cap, Illa num 18 scripsit* Quod Vicarius à Capitulo sede vacante constitutus potest omnia munia obire quæ Concilium Triden *sess.* 18: *sess* 24 statuit subeunda ab Episcopo seu eius Vicario cum Ecclesiæ Parochialis vacatio contigerit Et in specie statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, & antequam ullum fiat examen constituat idoneum in eo Vicarium cum assignatione congrua portionis fructuum, reservatis alijs fructibus ijs quibus jure videbitur; dictus autem Vicarius in illa Ecclesia Parochiali constitutus onera eius sustineat, donec dictæ Ecclesiæ de Rectore provideatur.

Postea dictus Vicarius à Capitulo constitutus per edictum publicum vocet omnes qui voluerint examinari pro obtinenda illa Ecclesia Parochiali. Deinde examinet illos qui concurrerint, adhibitis etiam alijs examinatoribus saltem tribus quorum votis si paria aut singularia fuerint, possit ipse Vicarius accedere, quibus magis ei videbitur. Curetq; idem Vicarius, ut singulis Annis à Diœcesana Synodo probentur Examinatores Saltem sex ex quibus tres eligat eosq; congreget, ut secum examen perficiant, ad singulas Parochiales vacantes. Et si unus vel duo tantum ex dictis Examinatoribus etiam cum Vicario, vel omnes

tres

tres aut etiam sex absq; Vicario seipsos congregaverint, & examen perfecerint nullum. Et si ex dictis sex Examinatoribus aliqui intra Annum suæ Electionis mortui fuerint, tota fa ultas examinandi ad superstites etiamsi tantum unus superesset spectabit eo anno durante.

Si contingat sequentibus annis nullos alios examinatores eligi in Synodo Diœcesana illi sex, qui semel præcedēte anno ex Decreto Concilij fuerint electi pro legitimis habeantur, etiam post lapsum Anni suæ Electionis & sic in officio suo perseverare possint, donec alij servata forma Concilij electi fuerint. Et si ex dictis sex Examinatoribus aliqui mortui ferint, curabit Vicarius ut lapso anno alij in locum demortuorū sufficiantur seu eligantur, in Synodo Diœcesana alioquin qui supererunt pro legitimis non habeantur.

Examen & approbatio pro legitimis non habeantur ad Parochialem vacantem si ante ad alias Parochiales quæ prius vacaverint fuerint facta, ita ut non sufficiat, quem iudicatum fuisse idoneum præteritis mensibus, aut annis ad aliquas Parochiales, sed semper opus sit novo examine, & nova approbatione ad ipsam Parochialem, de cuius collatione singulis vicibus agitur.

Examinatores ex pluribus Examinatis non unum solum, sed plures quos judicaverint idoneos significabunt Vicario, Et ex istis pluribus idoneis per Examinatores judicatis, non ipsi Examinatores, sed solus Vicarius eliget, quem cæteris magis idoneum judicaverit. Hæc enim facultas nullo modo Examinatori-

bus competit, cum soli Episcopo à Concilio sit attributa: cuius loco erit Vicarius Capitularis sede Episcopali vacante.

Ipse etiam solus Vicarius absq; Examinatoribus scribat literas ad Summum Pontificem, ad quem collatio Parochialis spectabit, quibus præcipue testabitur propositum fuisse & editum examen per concursum factũ totq; examinatos fuisse & ex examinatis, tot idoneos, à tribus saltem examinatoribus judicatos, se vero ex istis idoneis talem cæteris magis idoneum judicasse elegisseq́. Hucusq; Fagnanus loco citato ubi plura de isto concursu ad Ecclesiam Parochialem collationis Patronorũ & Collatorum Spiritualium: sed prædicta apud Nos adeo non servätur, sed ad Parochiales Ecclesias collationis spiritualis etiam Episcopi absq; concursu instituunt passim

Vigesimus tertius casus est Potest Capitulum sede vacante Episcopali præsentatos à Laicis habentibus Ius Patronatûs instituere. *Ita Piasecki in proœmio praxis suæ Episcopalis num 22.* ¿ Non succedit in ijs quæ sunt gratuita & voluntaria Garzias *in Tract de Beneficijs par. 5. cap 7 num: 54.* Rationemq; reddit Piaseccius noster loco citato. Quia hoc pertinet ad Iurisdictionem necessariam idq́; per text. *in cap 1. & 2 de instit. lib 6 Decretalium.* & testatur hanc esse opinionem communem. Idem & Barbosa *in d. cap 42. num 95.*

Vigesimus quartus casus est. Potest Capitulum admittere Resignationes Beneficiorum Ita Piasecki ubi supra *par 2. c. 5 art 2 num 68.* maxime justá causá existente. Novarius

in sum

in summa Bullarij *par. 1 comment. 38 num. 3* unde extendit, quod possit recipere resignationem Beneficiorum spectantium ad collationem etiam Episcopi, *Barbosa in Tract. de Canonicis & dignitatibus in cap 42 num 96.* dum inquit in recipiendis Resignationibus Beneficiorum non solum spectantium ad collationem Episcopi & Capituli, sed etiam spectantium ad Collationem Episcopi solius, quamvis illa non possit conferre; ubi plures Doctores pro hac opinione allegat inter quos, & Flaminium Pariz: *in Tract: de Resignat: Beneficiorum L. 7 quæst 23 à n.* 20 Ubi pluries hanc materiã tractat, & pro utraq; parte affert allegationes & tandẽ n. 20 adhæret nostræ opinioni, & ad contraria respondet Quamvis ibidem num: 37. tenet, quod Capitulum sede vacante non possit recipere resignationem Beneficiorum spectantium ad collationem solius Episcopi allegatq; Decisionem Rotæ Romanæ. Dixi Iusta causa existente. Quia nec Episcopus potest admittere absq; justa causa resignationes cũ id ipsis prohibetur per Bullam Pij V. Sũmi Pontificis, quam refert Piasec: *parte 2 cap 5 art 3 num 45.*

Quam tenet opinionem suam Parizius ibidem num: 40 Quando Capitulũ est in possessione conferendi & recipiendi Resignationes omnium Beneficiorum, etiam spectantiũ ad collationem solius Episcopi, tunc potest recipere resignationem & conferre omnia Beneficia. Rationemq; reddit Quia in his attenditur possessio per text. in cap: Consultationibus de IurePatronatûs.

Vigesimus quintus casus est. Potest Capitulum sede Epi-

scopali vacante permutationibus Beneficiorum auctoritatē præstare. Ita *Novarius vbi supra comment: 38 num 3.* Non. tamen ad collationem solius Episcopi, vel tertij spectantiū. *Ita Barbosa in d. cap 42 num: 97 Doctoresq́, ab eo citati.*

Vigesimus sextus casus est. Quod Capitulum sede vacāte potest præbendas & portiones ex justa causa vigore Conc Triden. *cap: 15. sess. 24 de Reformat. supprimere. Ita Novar: d. comment. 58 n 9 sed Barbosa in d, cap 42 n. 27. & in Tract: de Officio & Potestate Episcopi par 3 allegat: 67 num 3 Contrarium scripsit dictus Barbosa in d. Tract. de Canonicis & Dignit. cap 3 num 23 ubi num 24.* Subiungit quod nec Vicarius Episcopi vel Capituli sede Episcopali vacante eam suppressionem facere possit etiam in casibus, in quibus posset Episcopus, cuius est Vicarius, allegatq; Rebuffum in praxi Beneficiaria Sbrozzium de Officio Vicarij Garziā in Tract, de Beneficijs Gratianū disceptationibus Forensibus.

Vigesimus septimus casus est. Capitulum Cathedrale vacante sede Episcopali potest condere statuta obligatoria totam Diœcesim dummodo sint justa, & non tendentia in præjudicium Ecclesiæ vel mensæ Episcopalis, secus est si dicta statuta concernant augmentum cultus divini vel ob bonum Regimen ipsius Capituli vg. qualiter debeant cōgregari, & qualiter distributiones quotidianæ debeant distribui, de quo videatur *Barbosa in d. Tractatu de Canonicis & Dignitatibus cap. 42. num. 73. Doctoresq́, ab eodem ibidem citati. Quibus addo Bonacinam volum. 2. in Tract: de Legibus*

in gene-

in genere diſput: 1. quæſt: 1. pun. 3. num 29. vbi ſic inquit. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis poſſe mortuo Epiſcopo Leges vel Statuta facere duratura, donec revocētur ab Epiſcopo ſucceſſore, imo etiam poſſe ſtatuta ab Anteceſſoribus Episcopis facta revocare & contraria ſtatuere ſi ita expedire judicaverit, Rationemq; reddit. Quia Capitulū exceptis caſibus in Iure expreſſis & consuetudine in contrarium, ſuccedit ſede vacante Episcopali in Iurisdictione Epiſcopi quoad totam ordinariam adminiſtrationem in temporalibus & Spiritualibus juxta *text: in cap: cum olim de majoritate & obedientia in cap. vnico eodem tit: lib. 2. Decretalium in cap: ſi Epiſcopus, in cap. finali, tit: de ſupplendis negligentijs Prælator lib. 6. Decretalium, Et Concilij Triden: ſeſſ 24 cap. 16.* Jam autem ferendi Leges pertinet ad poteſtatem & Iurisdictionem, ordinariam Episcopi, Ergo Capitulum Cathedrale ſede vacante Episcopi ſui ſuccedit in Iurisdictione Episcopi ferendi leges.

Advertendum tamen, Quod ſicut Statuta Episcopi non ligant Succeſſorem ſuum, quin eas poſſit revocare cum *par in parem non habeat poteſtatem ut ſcripſit Gloſſa in cap. cum omnes ſub verbo Conſtitutum tit: de Conſtit:* Jta & Succeſſorem Episcopum Statuta à Capitulo ſede vacante Episcopali lata non ligant futurum Episcopum ergo

Vigeſimus octavus caſus eſt Capitulum Cathedrale ſede vacante Episcopi ſui poteſt accedente juſta cauſa unire Beneficia, dummodo per hoc Iurisdictioni Episcopi nihil detra-

detrahatur, vel nisi sibi uniat. *Ita Rebuffus in praxi sua tit: de unionibus num: 36, & sub tit: de Devolutionibus num.* 100 *Piasecki noster in praxi sua parte 2. cap. 5. art: 3. num.* 90. *Idq; per text. in cap: Unico ut ne sede vacante lib. 6. Decretalium.* Ratio redditur Quia unire Beneficia est, Iurisdictionis contentiosæ ibi Piasecki noster.

Ampliatur. Quod Capitulum Cathedrale sede sua vacante Episcopali possit dissolvere uniones seu revocare ex causis, ex quibus Episcopus hoc idem posset facere. Nicolaus Garsias *in Tract. de Beneficijs parte 12 cap: 2. num. 67 ubi num. 68. refert*, ita à sacra Congregat, Cardinalium Interpretum Concilij Tridentini fuisse decisum & declaratum his verbis: Capitulum sede vacante non posse supprimere quodcunq; Beneficium & sibi unire sicut & sede plena non potest consentire unioni faciendæ ipsi Capitulo directe & principaliter. Videatur & Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 492 ubi plene hanc materiam tractat, in quibus casibus Episcopus vigore dictarum facultatum uniones facere possit.

Sic à contrario sensu Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante, potest dismembrare Beneficia unita antecedente tali causa, in quibus casibus Episcopus vivens poterat id facere. *Ita Rebuffus in praxi sub tit. de unionibus revocant: n: 9 Quaranta ubi supra c. Sede vacāte, quæst: 9. ad finē*

Vigesimus nonus casus est Quod Capitulum Cathedrale vacante sede Episcopali potest commutare ultimas voluntates

tates in casibus tamen ijs in quibus Episcopus poterat cõmutare. *Ita Barbosa in d: Tract. de Canonicis & Dignitatibus d: cap. 42 num: 101.*

Trigesimus casus est. Potest remittere pœnas impositas per Episcopum vel eius Officium. *Ita Mircell Vulpe c. 44. num 26 & eum secutus est Barbosa d cap. 42. num. 102.*

Trigesimus primus casus est Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante visitare Diœcesim, quando scilicet lapsus est Annus à prima visitatione per Episcopum facta, nec Ecclesia esset de proximo providenda de successore Episcopo. *Ita Piasecki in proœmio praxis suæ num 22.* dum inquit: Neq; potest Capitulũ sede vacante visitare Diœcesim, nisi particularem aliquem locum exigente necessitate seu ad puniendum delinquentem, si autem vellet facere visitationem generalem præsertim, quando diutius vacaret sedes requirenda illi esset licentia Superioris. Ita Piasecki ibidem per Iura ab ipso allegata & Doctores. Et sic forsan intelligendus est *Barbosa in d. cap. 49. num, 60.* dum inquit Capitulum sede vacante Episcopali posse visitare per se vel per alium visitatorem deputando, nec huiusmodi visitationem soli Summo Pontifici competere. ubi allegat Glossam in Clementina 1. § 1. de Hæreticis multosq; Doctores de quo videatur Idem *in Tract. de Officio & Potestate Episcopi par: 3. allegat. 133 sic & Rota Romana par: 1 Recentiorum Decis: 346. num. 2 ubi inquit absolute.* Quod Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede Episcopali vacante

succedit

ſuccedit in Iurisdictione ipſius Episcopi etiam in jure viſitandi.

Sed dicta resolutio quo ad viſitationem limitatur à Doctoribus, quod non procedat respectu exemptorum & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectorum. Nam Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante Episcopali videtur, non poſſe ita viſitare per ſe, vel per alium. *Ita Barbosa d. cap* 42 *num.* 105 Rationemq; reddit. Quia licet eorum viſitatio incumberet Episcopo ſi viveret. *juxta tex: in Clemen. Attendentes tit: de ſtatu Monachorum & Concilium Triden: cap. 9 ſeſſ. 25. de Regularibus* Tamen quia Episcopus vivus taliter exemptos non poſſet viſitare Iure ordinario, ſed ſolum Iure delegationis Apoſtolicæ, ut conſtat *ex d: Clemen. Attendentes, & ex d. cap: 9 Concilij Triden* Ideo Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede Episcopali vacante, non poterit viſitare taliter exempos.

Hinc infert is idem *Barbosa d. cap: 42. num.* 10. Quod Capitulum Eccleſiæ Cathedralis vacante ſede Episcopali non poteſt viſitare Monaſteria exempta monialium quæ viſitat Episcopus Authoritate Apoſtolica. Idem ſcripſit & *Nicolaus Garzias in Tract: de Beneficijs par: 5. cap. 7. num 48 & alij Doctores quos citat Barbosa in Tract. de Officio & poteſtate Episcopi par. 3. allegat 73 num. 25.*

Trigeſimus ſecundus caſus eſt Capitulum Cathedrale ſede Episcopali vacante poteſt dare licentiam monialibus non tantum jurisdictioni Episcopalis, ſed etiam Sedi Apoſtolicæ

immedi-

immediate & Regularibus subiectis egrediendi extra clausuram. *Ita Bassæus sub verbo Clausura num, 4 & Tamburinus in Tract. de Iure Abbatissarum Disputat: 20. quæst. 5. n. 9.*

Trigesl. tertius casus est. Potest de Iure cõmuni revocare licentias & approbationes concessas Religiosis audiendi cõfessiones secularium, nec non prædicandi sive sint absolute concessæ, sive ad tempus vel commutandi vota in alia pia opera. *Ita Bassæus verbo Capitulum num: 11.* ubi tamẽ dicit spectatis privilegijs Regularibus à Summis Pontificibus concessis, & specialiter Patribus Ordinis S Dominici à Clemente IV. Sũmo Pontifice in Bulla quæ incipit Exigentibꝰ Vestræ devotionis meritis id non posse fieri, sed quia per Bullam Gregorij XIII. & Bullam Vrbani VIII. Summorum Pontificum omnia privilegia Regularibus concessa, sint, ad Ius commune reducta. Ideo dicta limitantur de quo videatur *Aloysius, Riccius in praxi rerum quotidianarũ resol: 269. & Piasecki in praxi sua Episcopali par, 2, cap. 3. art. 6. num, 11.*

Trigesimus 4tus casus est. Potest conferre Beneficia quæ per negligentiam inferioris Collatoris aut dilationem devoluta sint ad collationem Episcopi. *Ita Abbas cap, 2. tit Ne sede vacante. Zypeus de Iure Pontificis tit, ne sede vacante, Rebuffus in praxi sua tit: de Devolutionibus. num: 96 Vallensis in Decretalibus suis eodem tit: num: 4 Honorius ubi supra num, 17.* Ratioq; redditur. Quia collatio talium Beneficiorum non concernit Episcopum ex dignitate Episcopali,

pali, sed ex negligentia collatorum vel ut alij Doctores. Quia hæc devolutio non concernit Episcopum favore suo seu dignitatis Episcopalis, sed ratione Beneficij ut ejus diuturna vacatio evitetur. Unde non potest inter fructus dignitatis Episcopalis connumerari *per text: in cap. Quam sit de electione lib. 6. Decretalium.*

Licet Quaranta in summa Bullarij sub verbo Capitulum sede vacante quæsito 9. ibi: Tertio Conclusionem, amplia procedere &c, Contrariæ opinioni adhæreat: Ex quo Pius V Pontifex in Bulla sua quæ incipit: Sanctissimus in Christo Pater, in qua generaliter loquitur. Quod omnia Beneficia sede Episcopali vacante quomodolibet vacantia ad eorundem Episcoporum collationem provisionem Electionem seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentia ipsi Pontifici reservantur, sed mihi nostra opinio Doctorum magis placet. Nam & ipse Rebuff quem citat *Quaranta ut supra num: 101. loquitur solum.* Quod ad Capitulum sede Episcopali vacante non devolvatur Collatio præbendarum & aliorum Beneficiorum spectãtium ad solam collationem Episcopi non autem de Beneficijs, modo quo supra devolutis prout rationes Doctorũ nostræ opinionis id elucidant.

Trigesimus quintus casus est. Potest conferre Beneficia vacantia ad collationem præsentationem electionem communiter seu simultanee ad Episcopum & Capitulum spectantia. Nam tunc totum Ius Capitulo accrescit. *Ita Re-*

buffus

buffus in praxi sua, tit: de Devolut: num: 74: Quaranta dict: quæst: 9 num: 6, Valensis ubi supra, & Honorius loco citato, num: 17. Fagnanus par: 1. lib. 3. Decretalium in cap: Illa tit: Ne sede vacante. Alleganturq; text. in d: cap Illa ibiq; glossa & in cap: Vnico eodem tit: Ne sede vacante lib. 6. Decretalium. Atq; ita Intelligendos esse Doctores absolute tenentes. Quod Capitulum sede vacante Episcopali non possit Beneficia conferre, id est spectantia ad collationem solius Episcopi, non autem spectantia ad simultaneam collationem Capituli cum Episcopo, vt Iura præallegata loquvntur.

Trigesimus sextus casus est, Potest admittere præsentatos à Patronis, & si sint idonei instituere. *Ita Piasecki noster in proemio praxis suæ Episcopalis num: 22 & par. 2. cap: 5. art. 2. num: 60. Franciscus Leo in suo Thesauro par. 1 cap: 10. num. 11. Fagnanus in d: cap: His quæ, num: 57, & in d, cap. Illa, 1 par: lib: 3 Decret: tit, Ne sede vacante, num. 12. Vivianus in Tract: de Iure Patronatus lib: 12 cap: 2 num: 10 Idq; per text: in cap. cum olim tit: de Majoritate & obedientia & in cap 1. tit: d. Institut. lib. 6. Decret:* Ratioq; redditur, Quia Institutio est necessitatis & illa collatio pendet à voluntate præsentantis, ita ut Persona præsẽtata & non alia si sit idonea instituatur. *Ita Vallensis ubi supra num. 8. Honorius num: 11.*

Sicut etiam non desunt Doctores. Quod Capitulum sede Episcopali vacante potest præsentatos instituere ele-

ctos confirmare ad alia Beneficia quorum collatio præsentatio ex consuetudine, vel aliquo statuto spectat ad aliquē cum consilio Capituli. *Ita Vivianus de Iure Patronatus lib: 14. cap: 3. num 59. idq́ per tex. in cap. cum olim tit. de Maioritate & obedientia.*

Trigesimus septimus casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante conferre Beneficia spectantia ad Capitulum cum consilio Episcopi. *Ita Rebuffus ubi supra num: 76 Honorius num: 17 & alij Doctores.* Ratioq́; redditur Quia non extante Episcopo consilium ab eo peti nequit *per text: in cap. 1. § finali tit: Ne sede vacante,* si autem alicui alteri competat collatio alicuius Beneficij cum consensu Episcopi, *vide infra par. 3. Casu 29.*

Trigesimus octavus casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante dispensare in impedimentis matrimonialibus, in quibus casibus potest Episcopus dispensare. *Ita Tamburinus lib. 7. Tract. 2. cap 5. num 4.* Ratio redditur. Quia hoc est Iurisdictionis ordinariæ, ubi tamen subiungit. Quod Vicarius Capituli id non possit facere nisi à Capitulo habeat speciale mandatum ad id. Nam, & Vicarius Episcopi non potest id facere absq; speciali mandato.

Quadragesimus casus est Potest Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopali dispensare ab operibus servilibus in die Festo. *Ita Tamburinus lib. 4. cap: 3. num 36.* Rationem reddit. Quia Capitulum succedit Episcopo in

in o-

in omni jurisdictione nisi in jure prohibeatur. Quod prohibitum in jure non inveniri. Vicarium autem Capituli id non posse facere absq; speciali mandato Capituli.

Quadragesimus primus casus est. Potest Capitulum dispensare in jeiunijs. *Tamburinus Lib. 4. cap. 5. § 7. num 55.*

Quadragesimus secundus casus est. Potest Capitulum litigare super Iure eligendi quod videlicet electio spectet ad Episcopum vel Capitulum. *Ita Fagnan: par: 1. lib. 1. Decretal: in cap. cum dilectus, sub tit. de consuetudine num. 4.* Ratio redditur. Quia licet Capitulum sede Episcopali vacante regulariter non succedat in litigijs Episcopi, vel Ecclesiæ vacantis ut infra par: 3. casu 16. scripsimus Tamen quia talis quæstio pertinet ad Capitulum seu aliud Collegium sine Prælato Eius recte Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante videtur id ipsum facere.

Quadragesimus tertius casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante Ecclesiæ inferiori ex justa causa & legitima volenti Bona sua alienare authoritatem suam interponere. *Ita Quaranta ubi supra quæsito 6. Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 84 num, 2. Pontius in Tract: de matrimonio lib: 5. cap. 10 num 4. Genuensis in d. cap: 87. num: 22.*

Si tamen illa Ecclesia inferior careat Rectore debet dari curator aut defensor cuius authoritate alienatio fiat. *Ita Fagnanus par 1. lib: 3 Decret: in cap: Novit, num 33 tit: Ne sede vacante aliquid innovetur.* Vbi tamen subiungit, quod

hodie

hodie debet servari dispositio Extravagantis *Ambitiosæ* tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.

Quadragesimus quartus casus est. Potest Capitulum Cathedrale res Ecclesiæ suæ quæ servando servari nequeunt liberè, absq; alicuius authoritate alienare, dummodo pretiũ servetur. *Ita Quaranta ubi supra Fagnanus vbi supra num. 31.*

Imo Quaranta & Riccius locis citatis ampliant. Quod possit etiam stante evidenti necessitate vel utilitate suæ Ecclesiæ mutuo pecuniam accipere etiam non interveniente Authoritate superioris, si videlicet periculum sit in mora & de facili authoritas superioris non possit haberi. Allegantq; *glossam in cap. Cupientes sub verbo Aliunde tit. de Electione l. 6. Decret:* Idem *tenet Rodoan in Tract: suo de rebus Ecclesiæ non alienandis q. 30 Genuensis ubi supra num: 23 de quo videatur etiam iufra de casibus, in quibus Capitulum non succedit casu 14.*

Quadragesimus quintus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante potest dare licentiam ingrediendi Monasteria monialium Iurisdictioni Episcopali subiectarum stante justa causa & necessitate, *Ita Tamburinus in Tract: de Iure Abbatissarum disp. 23 quæst 2.* Cum & Vicarius Episcopi possit id facere habendo speciale ad id mandatum.

Ampliatur. Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante possit ex justa causa & necessitate dictam licen-

licentiam ingrediendi Monasteria Monialium immediatè Sedi Apostolicæ subiectorum, impertire. Ita *Sanchez in Tract: de matrim, lib. 8. num: 10. disput: 2. Tamburinus d: disput 23 quæst 3. num. 4. quem vide.* Ratio adfertur. Quia licet Episcopis liceat id tanquam delegatis Sedis Apostolicæ ut habetur in Conc: Triden: *cap. 9. sess: 25.* de Regularibus, Capitulum autem Cathedrale sede Episcopali vacante non succedat Episcopo juxta opinionem nonnullorum tamen non esse credibile, quod Sūmus Pontifex voluerit moniales prædictas aliquando remanere sine Superiore ad quē in casibus occurrentibus refugere possint. Et sedes Episcopalis nonunquam diuturno tempore soleat vacare.

Quadragesimus sextus casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante gratificari Patrono Ius habēti præsentādi ad aliquod Beneficium,& quasi illud conferre. *Ita Quaranta ubi supra quæst. 9. Pavinus par: 2. quæsito 2. ad finem & Piasecki noster ubi supra, par: 2. cap: 5. art. 2, num: 67. Genuensis d. cap 87* Ratio redditur. Quia & Episcopus de jure proprio id facere solet.

Quadragesimus septimus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante potest dare licentiam ædificandi Ecclesiam, ut per hoc acquiratur Ius Patronatus illius Ecclesiæ. *Ita Barbosa in Tract: de Officio & potestate Episcopi par. 3. allegat: 76. num 32. Vivianus in Tract. de Iure patronatus lib. 2. cap: 1. num. 15. Navar: d. comment. 38 num. 4. Quaranta vbi supra quæsito 9.* Ubi tamen subiungit quod

Capitu-

Capitulum in fundatione tali conditionem aliquam præjudiciosam Episcopo approbare non valeat.

Quadragesimus octavus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante potest præstare consensum super translatione Iuris Patronatûs de uno in alium, *Vivianus vbi supra lib, 1. cap, 2. num 44*

Quadragesimus nonus casus est. Potest Capitulum interponere Decretum alienationis. Ratio quia & Vicarius Capitularis id potest facere accedente speciali mandato Capituli sicut & Vicarius Episcopi accedente speciali mandato Episcopi. *Ita Pontius de matrim. lib. 5 cap: 10 num. 4. Azorius tom. 2 lib: 3 cap 37 quæsito 6 & 7 Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiasticidecis. 483.*

Quinquagesimus casus est. Potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante concedere Clericis licentiam tractandi studia *Ita Zerola in praxi sua Episcopali sub verbo Capitulum, versu ad 2dum respondetur.* Rationemq; reddit, quia hoc non prohibetur à Sacro Concil, Triden & consequenter à Iure antiquo non esse recedendum *Barbosa ad cap. 1 Conc: Triden. sess: 5 de Reform: num: 60.* Ubi tamen subiungit quod hæc licentia non potest illis suffragari ultra quinquennium à die quo studere cæpit.

Qui tamen casus procedit quoadClericos si minores sint 30 annis, secus ad Parochos quia his nec Episcopus potest dare licentiam studia tractandi. *Ita Barbosa ad d. cap. 1.*

Conc:

Conc: Triden: sess. 5. de Reform num 61 & in Tract de Officio Parochi cap. 8 num. 27. Doctoresq; ab eo citati, quibus addo Piasecki in praxi Episcopali par. 2 cap 3 art. 3 num 4°. Imo neq; causa studij. Ratioq; redditur. Quia in concursu & examine ad curatum Beneficium debet inveniri sufficiens, atq; ita à Sacra Congr: Concil: Triden: fuisse declaratum refert.

PARS III.

In qua adferuntur casus speciales, in quibus Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Sede Episcopali vacante, non succedit Episcopo in Iurisdictione.

PRimus casus est. Non succedit in præsentatione collatione, Electione, Provisione Beneficiorum de Iure communi vel consuetudine ad collationem provisionem electionem solius Episcopi spectantium & quocunq; modo etiam per viam privationis sede Episcopali vacantium. *Ita Honorius in Decretalibus suis locis citatis à num: 16 Vallen: ubi supra num 3 Fagnanus d cap: Illa, Vivianus in Tract, de Iure Patronatus lib 12 cap, 2, Piasecki noster in proœmio praxis suæ num 22 versu, Neq; succedit in ijs quæ sunt gratuita, & par, 2 eiusdem praxis suæ Episcopalis num 65, & num 69, & alij communiter Doctores, idq; per text, in d. cap, Illa, in cap. cum olim: ibiq; glossam tit: de Maioritate & obedi-*

entia. Ratioq; redditur. Quia collatio beneficiorum est meræ gratiæ, *Ita Lotterius in Tract, 2 de Re Beneficiaria lib, 2. quæst, 1 num 2,*

Ampliatur primo. Etiamsi vacarent per renuntiationē. *Ita Barbosa in d, cap 42 num 109 Doctoresq; ab eo citato.*

Ampliatur secundo. Etiamsi Episcopus talia Beneficia non consvevisset conferre sine consilio, & consensu Capituli *Ita Rebuffus in praxi sub tit, de Dilat, num 71 Valiensis ubi supra num. 3, Quaranta ubi supra, & alij Doctores idq; per text, in d. cap unico § cum vero tit ne sedet vacante lib 6 Decret.* Ratioq; redditur prima. Quia id nullibi in Iure videtur cautum, ut in *d cap Illo*. Ratio secunda, Quia collatio ejusmodi Beneficiorum connumeratur inter fructꝰ Episcopi, ut habetur *in cap finali tit de Officio Vicarij*, & quidem non inter fructus Iurisdictionis, sed inter fructus honorificentiæ. *Ita Loter lib 2 q, 2 num 17.* Jam autem Capitulū sede Episcopali vacāte tenet.ne quis fructus Episcopi dilapidare audeat, sed futuro Episcopo reservare juxta *tex, in cap Cum vos tit, de Officio ordinarij, & cap, Quia sæpe tit, de Electione lib 6 Decret, prout late discurrit Loterius ubi supra.*

Sed hodie nullo casu sive periculum sit in mora sive non, collationem dictorum Beneficiorum transire, ad Episcopum Successorem, sed indistincte spectare ad dispositionem Summi Pontificis *Ita Fagnanus in d cap Illa à num. 8 Piasecki ubi supra par 2 cap 5 num 62, Lotterius ubi supra,*

à num:

à num 36. Et hæc reservatio talium Beneficiorum per Bullam Pij V. Sũmi Pontificis quæ incipit Sanctiſſimus in Chriſto Pater, ut videre licet apud Quarantam ubi ſupra reservata eſt.

Notandum tamen eſt primo. Quod Capitulum Cathedralis Eccleſiæ ſede Episcopali vacante poſſit Beneficia eiusmodi, ſpectantia ad collationem ſolius Episcopi, ſi ſint ſimplicia commendare ad certum tempus videlicet ſex menſium ſicut & Beneficia currata Iurispatronatus laicalis non autem ad Beneficia curata ad collationem Episcopi ſolius vel aliorum Patronorum ſpiritualium quæ juxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *cap* 18 *ſeſſ* 24 *de Reformat*: per concursum debent conferri, de quo videãtur dicta & ſcripta à nobis ſupra par: 2 caſu 26.

Notandum ſecundo juxta doctrinam *Garziæ in Tract, de Beneficijs par* 11 *cap* 4 *num.* 81. Quod ſi Episcopus admiſiſſet reſignationem ex causa permutationis Beneficij ad ſolam collationem ipſius ſpectantis, & antequam contulerit moriatur poſſit Capitulum ſede vacante, vel Vicarius Capitularis eiusmodi Beneficium compermutanti conferre. Rationemq; reddit. Quia Episcopus admittendi talem Reſignationem jam aſſensum præbuit, & ex alia parte collatio eſt debita compermutantibus, & ſic eſt neceſſaria *juxta text, in Clemen. unica, tit, de permutationibus, & in cap unico, tit. de rerum permutat. lib 6 Decret,*

Ampliatur tertio, dictus casus primus Quod Capitulũ

Ecclesiæ Cathedralis ſede Episcopali vacante Beneficia ad collationem ſolius Episcopi ſpectantia, & per privationem vacantia non poteſt conferre *iuxta Piasecki d. cap 5.*

Ampliatur 4to. Quod Capitulum Cathedrale ſede Episcopali vacante non poteſt conferre Beneficium quod aliquis ex ſpeciali Iure haberet cum Episcopo. *Ita Rebuff. ubi ſupra num, 75, Quaranta ubi ſupra ſub verbo Capitulum ſede vacante, quaſ. o Vivianus in Tract. de Iure patronatus lib, 12 cap 2 num: 13* Rationemq; diverſitatis reddit Rebuff loco cit: cur videlicet Capitulum poſſit conferre Beneficia communiter ſpectantia ad Episcopum & Capitulum non autem ad alium cum Episcopo. Quia de hoc ſecundo casu non reperitur in Iure expreſſum & ratione commutationis in primo casu permittitur. Quæ communio non eſt, quando Episcopus confert cum alio juxta Iura à Rebuffo allegat: quem vide.

Secundus casus eſt. Quod Capitulum ſede Episcopali vacante Beneficia generaliter vel ſpecialiter reservata Summo Pontifici non poteſt conferre, & eorum reſignationes etiam ex causa permutationis admittere, ſiquidem & Episcopo id facere non eſt licitum. *Ita Garzias ubi ſupra d: par 11 cap 4 num 82 Doctoreſq; ab eo citati, & ita Rota Romana decis, 1 ſub tit de rerum permutatione. Ratioq; redditur à Garzia ibidem num 84.* Qnia de Beneficijs reservatis Papæ inferior non poteſt ſe intromittere ut colligitur *ex cap 2 & in cap dudum in de prabendis, lib 6 Decret, & ex cap Finali*

nali cap Si eo tempore. tit de Electione eodem lib 6 Decretal, Unde cum omnia Beneficia collationis Episcopalis vacante sede Episcopali reservata sint Summi Pontifici per Regulam secundam Cencellariæ Capitulum sede Episcopali vacante non potest ea conferre, nec commendare. Nec Oeconomum apponere *juxta Lotterium in Tract, de Re beneficiario lib, 2 quæst, 2 num 27, & num 36.* licet præcisa reservatione in terminis Iuris communis posset Capitulum dictam commendam facere & Oecomum apponere, ut *Lotter vbi supra à num 36.* scripsit Atq; ita declarandas esse Doctorum opiniones qui scripserunt potestatem deputandi Oeconomum vel commendandi talia Beneficia reservata spectare ad Capitulum, sicut *Rebuffus in Nominationibus quæst, 8 num 50 & in praxi Beneficiaria sub tit. de requisitis ad collationem bonam, num 21 & tit, de Devolut, num. 77 & num. 80 cum seq, Azor tomo 2 Instit, moralium lib 3 cap 28. Piasecki noster in praxi par 2 cap 5 art 2 num 65* scripserunt quod opinio illorum procedat cessantibus reservationibus & Affectionibus Apostolicis.

Tertius casus est. Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest Beneficia curata ad collationem solius Episcopi vel aliorum Patronorum spiritualium spectantia commendare. *Ita Lotterius in Tract. de Re beneficiaria lib 2 quæst, 2 num 27.* Rationemq; reddit. Quia collatio Beneficiorum curatorum ad collationem solam Episcopalem spectantium sede Episcopali vacante non reservatur

tur successoris Episcopo inter fructus Episcopales, & aliorum emolumentorum Et Concilium Triden: *in cap 16 sess. 24 de Reform.* permittit Capitulis sede vacante Episcopali commendare Ecclesias quatenus sibi incumbit onus percipiendi fructus. *Ita Lotter vbi supra num 40.*

Sed Piasecki noster in praxi sua Episcopali par 2 cap 5 art 2 num 61 vers potest etiam Capitulum sede vacante scripsit generaliter. Quod Capitulum sede vacante Episcopali Beneficium spectans ad collatiionem Episcopi potest commendare ad tempus, donec fuerit provisum ab eo cuius est collatio. Rationemq; reddit. Quia sicut Episcopus vivens potest dare Oeconomum Monasterio vacanti licet illud providere non possit Ita & Capitulum sede vacante Episcopali, & ita apud nos hæc doctrina Piaseccij passim practicatur, quod Beneficia curata spectantia ad collationem Episcopi solius vel Patronorū spiritualium, sede Episcopali vacante à Capitulo seu eius Vicario Capitulari ad tempus certum commendantur, donec Sede Apostolica fuerit provisum, idq; non ob aliam rationem nisi quod necessitas id suadeat, tam in administratione Sacramentorum & Oeconomia in bonis temporalibus. Id certum est quod apud nos, si Canonicus vel dignitas vacet semper expectetur provisio Apostolica, nec ille Canonicatus vel dignitas alicui commendatur.

Quartus casus est Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest eiusmodi Beneficiorum curatorum

ratorū Electos constituere, & ex electis idoneum Sūmo Pontifici præsentare, sed hoc spectare ad Vicarium à Capitulo eligendum ut supra in par: 2. scripsimus.

Licet *Vivianus in Tract: de Iure patronatus par. 2. lib. 10. cap: 1. num. 36.* contrarium tenet quod non tantum Vicarius Capitularis, sed etiam Capitulum eiusmodi concursum possit instituere.

Quintus casus est. Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopali non potest Indulgentias quas posset Episcopus vivens concedere num: 22 & alij. Ratio redditur. Quia illa Iurisdictio videtur concessa respectu dignitatis Episcopalis Idem scripsit *Piasecki noster in proœmio praxis Episcopalis num 20 Quaran. in summa bullarij sub verbo Capitulum sede Episcopali vacante, versu* 12, Licet non desint Doctores in contrarium, ut refert *Quaranta ibidem faciunt hic ea quæ supra par: 2 scripsimus casu 20.* Vnde in hac contrarietate Doctorum *Quaranta loco cit: scripsit Tutius* esse ut Capitulum hoc comitteret alicui Episcopo qui suo nomine hoc faceret. Videātur quæ scripsimus par: 2 casu 20.

Sextus casus est. Non potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante dimissorias dare ut aliquis Clericus transeat ad aliam Diœcesim. *Ita Fagnanus d. cap. His quæ num: 59 Idq; per tex: in can Presbyter distin: 24.* Ratioq; redditur. Quia id sapit alienationem in qua Capitulum sede Episcopali vacante non succedit.

Sept.

Septimus casus est. Non potest supprimere præbendas vigore Concilij Triden: *cap. 15 sess. 24 de Reform: Ita Barbosa lib. 3. Decret: in cap: Illa tit, Ne sede vacante: num: 26 & in d. cap: 42. in Tract. de Canon: & Dignitatibus num 112 Licet Novar: in Bullario suo comment. 38, num. 8. videatur. Barb: in collectaneis decis. Aplarum collactenea 125. num: 10*

Ampliaturq; is casus septimus. Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest aliquod Bene, ficium supprimere & sibi unire. *Ita Garzia in Tract. de Benef: par. 12: cap. 2 à num. 67 Barbosa in d. cap. 42. num. 99* referentes pro hac sua opinione declarationem Cardinalium. Interpretum Concilij Trident.

Octavus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest visitare Monasteria exemptorum, & immediate Sedi Apostolicæ subiectorum. *Ita Barbosa lib 3, Decret: in cap: Illa, tit. Ne sede vacante, num. 2 & in d. cap: 42 de Canonicis & Dignit, num. 73. & in Tract: de Officio & potestate Episcopi par 3 allegat, 73. num. 27. qui videatur & Garzias ubi supra par 5 cap. 7. num: 45.* Ratioq; redditur. Quia Episcopus hanc visitationem non jure ordinario, sed delegato à Sede Apostolica expedit, ut habetur *in clementina Attendentes tit. de statu Monachorum, & in Conc. Triden cap. 9 sess. 25 de Regularibus.*

Non exempta autem & sedi Apostolicæ immediatè non subiecta potest visitare, ut scripsit *Barbosa in Collectan decisionum Apostolicarum Collect. 125 num. 7.*

Notan-

Notandum tamen est, de Iurisdictione delegata ut supra scripsimus Episcopis concessa Quod attendendum, sit, an illa delegatio fiat in perpetuum, fiat muneri Episcopali, ut deinceps cuilibet Episcopo ex Officio competat, idq; non in bonum & tanquam privilegium Episcopi, sed in bonum eorum in quos illa Iurisdictio conceditur: an in bonum aliorum vel Ecclesiæ: Aut fiat illa delegatio Episcopo sub nomine dignitatis ad aliquam tantum particularem causam vel peculiare negotium. Nam in delegatione primo casu Capitulum succedere potest, non autem in delegatione secundo casu facta *Ita Molina in Tract de Iustitia & Iure tomo 6 Tract 5 disput: 11.*

Ex his præmissis *Barbosa d. cap: 42: num: 107 infert cum Molina loco citato*: Quod Capitulum sede vacante Episcopali posset Monasteria exempta & immediate Sedi Apostolicæ subiecta per se vel per alium visitare, non obstante dicta Clementina, & Concil: Triden: Cum in dictis Iurisdictio delegata sit commissa in perpetuum muneri & Officio Episcopali Ac proinde Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopi sui succedere. Tum quia non est verisimile, quod Clemens V in d. Constit: sua & Conc: Triden: loco cit: intenderent aliquo tempore dicta Monasteria destituere visitatione, & aliquo Regimine spirituali: Unde stante aliqua necessitate urgente posse dictum visitationem fieri. Ita scripsit *Pavianus in Tract: de Officio Capituli sede vacante par: 1, quæst: 7, Eumq́ secutus Quaranta ubi supra quæs: 1. ad finem.*

Nonus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante consequenter & Vicarius eius non potest Beneficiorum matrimoniorum dispensationum & aliarum gratiarum à sede Apostolica Episcopo vel eius Vicario seu Officiali cōmissas & delegatas perficere. *Ita Barb: in d. cap: 42. num: 104. Riccius in praxi sua cap: 87. num: 29. Quaranta ubi supra quæsito* ʒ. *ad finem, & alij DD. ab eis citati. Idq; per text. in cap. Pastoralis.* § *Præterea. tit: de Officio Ordinarij & Glossam in Clemen:* 1. *sub verbo Capituli tit: de Hæreticis.*

Sicut etiam Vicarius Episcopi non potest se intromittere, si commissio fuerit directa ad solum Episcopum nec è converso si dirigatur ad Vicarium seu Officialem Episcopi non potest se ingerere. Nisi huiusmodi commissionis subdelegatio fiat per Episcopum ipsi Vicario seu Officiali & è contra. *Ita Barbosa in Tract: de Officio & Potestate Episcopi par:* 3. *allegat.* 54: *num:* 136:

Ampliaturq; primo dictus casus nonus, Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest cōgnoscere & de causis Vicario seu Officiali generali Episcopi delegatis & commissis. *Ita Riccius ubi supra. Barbosa ubi supra num:* 57. ubi testatur de stylo Curiæ & Cancellariæ Romanæ servari. Quod sede Episcopali vacante ad Vicarium Capitularem non dirigantur Literæ in forma dignū nec dispensationes matrimoniales aut Beneficiales, sed ad Episcopum viciniorem vel eius Vicarium seu Officialem. Atq; sic à Sacra Congr. die 24. Martij Anno Domini 1621

fuisse

fuisse declaratum refert. Cuius sacræ Congregationis verba sunt. Dispensationes matrimoniales directas Episcopo, vel eius Vicario generali, si sedes vacare contingat non posse per Vicarium Capitularem expediri. Et deinde Anno 1631. Die 2da August: similiter censuit: Capitulum seu Vicarium Capitularem sede vacante Episcopali non posse exequi Commissiones Apostolicas in forma dignum, vel alias directas Episcopo vel eius Vicario generali intuitu Officij vel sub nomine dignitatis.

Quibus stantibus declarationibus sacræ Congregationis & stylo Curiæ Cancellariæ Romanæ opinio Salas in *Tract: de Legibus disput: 20. sess: 17. num 124. Sanchez in Tract. de Matrim: lib: 8. disput. 27. num. 32. Pontij in Tract. de matr: lib. 5 cap. 10. num. 4. & aliorum Doctorum contrarium tenentium subsistere non potest.*

Sic & Novar: d. comment: 38 num: 26 addit. Quod Capitulum Cathedrale vacante sede Episcopali non succedit in casibus, in quibus Conc: Triden: dat facultatem Episcopo, ut procedat tanquam delegatus sedis Apostolicæ.

Ampliatur secundo. Etiamsi dictæ literæ vivente adhuc Episcopo fuissent eidem præsentatæ. *Ita Barbosa ubi supra, Et Garzias d. par. 5 cap. 7 à num. 42*

Ampliatur tertio. Etiamsi Episcopus ante mortem suam apposuisset manum, atq; ita non esset res integra. *Ita Barbosa ubi supra per text in cap. Quoniam Abbas ... de Officio delegati, Genuensis ubi supra.* L 2 Limi-

Limitantur dicta primo. Si literæ fuissent directæ sub hac forma Vicario seu Officiali generali v. g. Posnaniensi vel Cracoviensi &c &c. Atq; ita exprimeretur solum nomen Diœcesis, secus si diceretur Vicario seu Officiali generali Episcopi vg. Cracoviensis vel Posnaniensis &c. *Ita Barbosa in d. cap. 42 num. 59. Marcell vulpe in praxi sua cap. 44. num. 6. & alij Doctores* Ratio redditur: Quia dum sedes Episcopalis vacat, Vicarius Capituli est Vicarius Diœcesis, *Videatur & Diana ubi supra resol. 78.*

Limitantur secundo. Quia Vicarius Capituli literas à sacra Congregatione ad Episcopum directas & ab illo non executas possit executioni demandare, nec non omne illud quod Episcopo mortuo per Bullam seu Breve in causis Iurisdictionem eius spectantibus conce um erat. *Ita Barbosa d. cap: 42. num: 60. ubi ita à sacra Congregat: fuisse declaratum refert.*

Sicut etiam is idem *Barbosa in Tract. de Officio & potestate Episcopi par. 3 allegat: 54. num: 137 scripsit* Quod Vicarius Capituli sede Episcopali vacante potest esse delegatus Papæ, ac gratiarum Beneficialium quæ expediuntur in Curia Romana Executor. *Allegatq; glossam in Clement: Et si principalis sub verbo Episcopi, & sub verbo delegatus, tit: de Rescriptis.* Ratio redditur. Quia etiam Vicarius Episcopi sede Episcopali plena potest esse juxta ea quæ scripsit *Barbosa ubi supra num: 136. Idem sentit Gratianus in disceptationibus suis forensibus cap: 106. num: 28. & Sbrozius in Tract,*

in Tract. de Officio Vicarij lib. 2 quæst: 22. & quæst: 23

Hinc si Papa scribat ad Capitulum sede Episcopali vacante uti vices gerenti ut provisum (hoc est Apostolicũ) recepiat in Canonicum, & eidem præbendam conferat, potest id exequi etiamsi Collatio ad Episcopum spectet, vel Episcopus qui tempore datæ erat de Capitulo tenetur id adimplere. *Ita Fagnanus in 1. par: lib: 1. Decret: in cap: Eam Te tit: de Rescriptis, Barbosa ad text eiusdem cap. idq; per text eiusdem cap. ibiq; glossa sub verbo donatio quos vide.*

Decimus casus est. Non potest Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante dare licentiam erigendi nova monasteria. *Ita Barbosa d. cap. 42. num 60, Idem scripsimus infra casu 32.*

Vndecimus casus est. Non potest Laureas doctorales conferre quas Episcopus mortuus poterat ex aliquo privilegio conferre. *Ita Genuensis in praxi sua ubi supra num. 29.* Ratio redditur. Quia Capitulum sede Episcopali vacante non succedit Episcopo in ijs quæ concernunt Episcopum jure speciali juxta doctrinam Doctorum in cap. olim de majoritate & obedientia, videatur in hoc Tract. quæ scripsimus quo ad Capitulum Cracoviense sede Episcopali vacante.

Duodecimus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non succedit Episcopo mortuo, in ijs quæ concernunt Episcopum respectu dignitatis Episcopalis Ita *Quaranta ubi supra § Subnectitur congrue, Sobrozzius ubi supra*

pra lib. 2. quæst. 2 & sequenti Genuensis ubi supra num. 32. Piasecki noster in Proœmio praxis suæ Episcopalis num 21. & alij Doctores passim idq; per text. in cap. Quoniam Abbas tit. de Officio delegati & nos supra scripsimus.

Quæ autem Episcopum concernunt respectu dignitatis Episcopalis *gloss. in cap fin: de privilegijs lib. 6. Decretal: in cap. fin: tit: de pœnitentijs & remissionibus enumerant.*

Decimus 3tius casus est. Capitulum Cathedr: sede Episcopali vacante non potest constituere præbendam pœnitentialem, *juxta Conc. Triden: cap. 8, ses. 24, de Reform,* Nisi in casibus in quibus potest conferre Beneficia. *Ita Genuensis d. cap. 87 num: 241.* Ubi subdit à sacra Congreg; declaratum esse Electionem Personæ Pœnitentiarij spectare quidem ad Episcopum, sed collationem præbendæ eidem faciendam esse ab illo, ad quem collatio illius præbendæ spectabit.

Decimus 4tus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest quidquam de Bonis & Iuribus mensæ Episcopalis vel Ecclesiæ alienare vel permutare sive illa sint mobilia, sive immobilia, quæ tamen possunt servando servari. *Ita Genuen: d. cap. 87, num 22. Fagnanus par. 2. lib. 1, Decret. ad cap: His qui tit. de Maioritate & obedientia num 58, & par. 1 lib. 3 decret: ad cap: Novit: sub tit. Ne sede vacante aliquid innovetur num: 24. per text, in can. Si qua de rebus 12. quæst, 2. & glossam in can: si quis Episcopatus 10. causa quæst 2 & glossam in cap: Cum olim tit: de Maioritate & obedientia,*

Amplia-

Ampliatur primo. Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest Bona mensæ Episcopalis infeudare etiam infeudari solita. *Ita Quaranta vbi supra quæsit: 6.* Vbi tamen limitat nisi in contrarium esset consuetudo, vel investitura esset necessaria. Rationemq; reddit: Quia tunc nullum inde præiudicium Episcopo successori inferretur

Ampliaturq; secundo. Quod Capitulum Cathedrale sede vacante Episcopali non possit quidquam de Bonis mensæ Episcopalis, vel Ecclesiæ alienare idq; etiamsi magna necessitas urgeat & Ecclesia esset diu duratura. Ita *Fagnan: in d. cap Novit:* Ratioq; ipsius est Quia Ecclesia æquiparatur minori vel pupillo qui sine auctoritate Tutorū vel Curatorum quidquam alienare nequit. Ita nec Ecclesia dum caret Pastore alienare quidquam potest sine decreto Episcopi, allegatq pro hac opinione sua text: in can. sine exceptione 12 causa quæst 2.

Potest tamen Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante Bona mensæ Episcopalis locare ad tempus juxta *Barbosā in d. cap: 42 num, 135. de quo infra dicemus.*

Decimus quintus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest donationem Iurispatronatꝰ in Laicum vel Clericum confirmare. *Barbosa d. cap. 4, n. 111.* Rationemq; reddit. Quia tunc necessario debet intervenire consensus Episcopi. *Idem scripsit & in lib. 3, Decret: cap. Illa, tit, Ne sede vacante, num. 26. Vivianus in Tract:*

de Iurepatronatus par. 1. lib. 4. cap: 1. num. 26,

Sicut & Vicarius Episcopi absq; speciali hoc est Episcopi mandato non potest hanc licentiam & consensum præstare prout *Gratianus in disceptationibus suis Forensibus cap. 303, num 10 late super hac materia scripsit.*

Sed Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis 180 num 150, contrarium tenet secutus doctrinam Calderini in Consilio 3. tit de Iurepatronatus quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante possit eiusmodi assensum præstare. Rationemq; reddit, Quia dare hanc licentiam est Iurisdictionis Episcopalis non ordinis. At Capitulum sede Episcopali vacante succedit Episcopo in Iurisdictionibus, *ut habetur in cap: Is qui, & cap. Cum olim tit, de maioritate & obedientia & in cap: 1. eodem tit. lib. 6. Decret:* Ergo, & hæc opinio magis mihi placet.

Decimus sextus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non succedit Episcopo in potestate deducendi jura Episcopi in Iudicium etiam defendendo, & etiamsi jam lis fuisset inchoata vivente Episcopo debet enim expectari futurus Episcopus propter periculum alicuius præiudicij quod inde possit generari. *Ita Piasecki noster in proœmio praxis suæ Episcopalis num, 22. Fagn. 1. par. lib: 3 Decret. in cap. Novit: sub tit Ne sede vacante, aliquid innovetur num 22. Doctoresq; ab jis citati.*

Limitatur. Nisi sit defendenda libertas Ecclesiæ ipso facto, seu ipse nudus actus exercendæ Iurisdictionis Episcopalis

palis, in quo plene succedit Capitulum. *Ita Piasecki ubi supra d. num: 22 & Rota Romana par. 2 diversarum decis. 1, num: 12.* Ubi sic inquit: Capitulum sede Episcopali vacante posset litigare pro defensione Iurisdictionis Episcopalis, puta occasione Interdicti ab Episcopo lati, & in alijs similibus. *Idem scripsit & Quaran, in summa Bullarij sub verbo Capitulum quæst. 1. vers.* Prædicta restringe dum inquit: Capitulum Cathedrale sede Episcopali, vacante potest litem agere, si contendendum esset de nudo exercitio Iurisdictionis, secus si verteretur dubium super proprietate alicuius certi Iuris ubi exempla ponit, ad quem curiosum lectorem remitto.

Similiter non potest tractare de statu Ecclesiæ. *Fagnanus loco citato à num 14: Alias sententiam latam sede vacante contra Ecclesiam nullius valoris esse scripsit ibidem num. 17.* Ratioq; est, Quia in tali casu Ecclesia carebat legitimo defensore, *ut habetur in cap. fin, tit, Ne sede vacante &c. &c,*

Decimus septimus casus est, Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante, non potest præstare consensum ut bonis Ecclesiæ vacantis imponantur gabellæ, & alia onera. Imo neq; in hoc consentire ut personæ Ecclesiasticæ ipsorumq; Bona aggraventur. *Ita Fagnanus in d, cap. Novit,* sed apud nos seculares hæc non audiunt, sed pro libertate sua, an licentia? non expectato consensu, Sedis Apostolicæ personis & Bonis Ecclesiasticis imponunt intolerabiles

 contri-

contributiones, & alijs oneribus aggravant & extorquent.

Decimus 8vus casus est. Capitulum Cathedr: sede Episcopali vacante non potest condere statutum, quo subsidium charitativum in futurum ex parte minuatur *Barb: d. c 42 n. 84.*

Decimus nonus casus est. Si exercitium Iurisdictionis in aliquo casu competat Episcopo cum alio non in solidũ, sed inter eos esset locus Iuris accrescendi, in tali casu devolutio illius Iurisdictionis ad collegam superstitem, & non ad Capitulum fieret. *Ita Quaranta ubi supra. quæst. 1: vers. Prædicta restring; allegatq; pro hoc text. in can: fin: distin. 69*

Vigesimus casus est. Capitulum Cathedrale etiam sede Episcopali plena absq; consensu Episcopali, & tanto magis sede vacante non potest quidquam statuere circa distributiones quotidianas, *Ita Barbosa d. cap 42. num. 74 Vivianus de Iurepatronatus lib. 15. cap 3, à num. 158.*

Ampliaturq;, ut nec constituere possit, ut illi qui nunquam in Ecclesia resederunt, & fidei professionem non emiserunt habeantur pro præsentibus *Ita Garzias in Tract, de Beneficijs par 3 num. 32. Barbosa in in d cap 42. num: 75 Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 493. ubi concludit.* Quod statutum vel consuetudo Capituli non potest fieri, nec introduci ut absentes ex refectionibus seu distributionibus quotidianis per quindecem saltem dies participent, alias lata sit nullius valoris.

Amplius is idem *Riccius decis: 494 scripsit.* Quod distributiones quotidianæ non debeantur Canonicus Qui cum horæ canonicæ decantentur, non adsunt in choro li-

cet sint præsentes in Ecclesia, vel dicant tunc temporis Missam. Et allegat declarationem sacræ Congregationis Cardinalium.

Insuper nec illos Canonicos participes esse distributionum quotidianarum qui Episcopo assistunt celebranti missam extra Ecclesiam propriam (hoc est) Cathedralem, vide plura apud eundem Riccium loco citato, sed apud Nos dicta non observantur extantibus statutis ab Episcopis, non tamen à Sede Apostolica approbatis.

Vigesimus primus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest derogare qualitati in fundatione Beneficij appositæ. *Ita Vivianus in Tract, de Iurepatronatus lib. 14 cap 3 num 55.* Ratio redditur Quia nec Episcopus id potest facere.

Vigesimus secundus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest conferre Beneficia debita graduatis originarijs patrimonialibus, & sic debitis certo generi Personarum ex aliqua familia si illorum collatio spectaret ad solum Episcopum *ita Lotter d, quæst: 2. num. 23 num. 33 ubi refert decisiones Rotæ Romanæ.* Ratioq; redditur: Quia id nullibi in Iure cautum videtur. Iam autem in materia collationis & provisionis Beneficiorum firma regula remanet expressa in cap: 2 tit. ne sede vacante aliquid innovetur, In Capitulum sede vacante Episcopali non transire ea, de quibus in Iure non est cautum. Ratio secunda. Quia eiusmodi collationem non posse dici necessariam, & per hoc transmissibilem in Capitulum

Quia dum Episcopus cui vult ex pluribus nominatis aut graduatis providet exercet potius actum gratiæ quam Iurisdictionis illeq; actus proprie appellatur gratificatio juxta gloss: *in cap: Cum autem, sub verbo Iudicio, tit: de Iurepatronat.*

Hinc etiam Rotâ Romanâ coram Cardinali Millino, (quam refert & sequitur *Lotter d. quæst. 2. num 27*) definivit Capitulum sede Episcopali vacante non posse gratificari in Beneficijs Parochialibus quæ juxta dispositionem Concilij Triden: *cap. 18 sess. 24. de Reformat:* magis dignis in cōcursu per examen inventis sunt conferenda. Neq; illa commendare ad tempus juxta declarat: sacræ Congregat. Eminentissimorum Cardinal: Interpret: Concil: Trident, cuius declarationis *Lotterius ubi supra & num 27. facit.*

Vigesimus 3tius casus est. Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest recipere resignationes Beneficiorum ad collationem solius Episcop spectantium etiam causa permutationis. *Ita Piasecki noster in praxi sua Episcop: par: 2. cap: 5 art: 2. num: 68.* Nisi forsan in præjudiciū resignantis, non autem in præjudicium successoris Episcopi, vel ut valeat sub conditione, si fuerit acceptata à futuro Episcopo. Quemadmodum etiam resignatio facta in manibus Notarij vel Patroni, licet sit nulla tamen in præiudiciū Resignantis si approbetur ab Episcopo valebit, vel si illa resignatio fieret ex aliqua necessaria vg ob assecutionem alterius Beneficij incompatibilis, vel resi-

gnatio

gnatio fieri debeat in pœnam resignantis. *Ita Piasecki ubi supra.* Atq; ita idem Piasecki intelligendus est quæ scripsit in proœmio praxis suæ num: 22. dum inquit Capitulum sede vacante Episcopali non potest recipere resignationes, nisi ex causa gravi & necessaria seu in pœnam resignantis, aut in casu permutationis.

Vigesimus 4tus casus est. Quod Capitulū Cathedrale sede Episcopali vacante non potest concedere gratias. *Ita Piasecki in proœmio praxis suæ num: 22,*

Vigesimus 5tus casus est, Sede Archiepiscopali vacante non potest Capitulum eius exercere Iurisdictionem in suffraganeos suos, nec judicare appellationes interim ab eis devolutas, sed recurrendum est ad Nuntium Apostolicum *Ita Piasecki d. num 22 vers,* Neq; exercere potest. Atq; ita testatur servari Mediolanense, Bononien: Neapoli, & in alijs Archipiscopatibus Italiæ. Quod est notandum Rationemq; reddit: Quia hoc est potestatis Authorisabilis.

Vigesimus 6tus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non succedit in emolumento provenient ex ipsa Iurisdictione & sigillo Curiæ, vel alias undecunq; ad Episcopum pertinente, sed illud futuro Episcopo reservandum esse scripsit *Quaranta ubi supra per tex: in Clemen: statutum, tit. de Electione.*

Ubi ampliat, Id etiamsi illud emolumentum esset commune cum Capitulo, sed in tali casu partem concernentem Episcopum reservandam esse successori. Vide plura apud

apud eundem Quarantam, quorum tamen usus upud nos non practicatur.

Vigesimus septimus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante non potest eligere arbitros ad cognoscendum de causa suspitionis vel Recusationis contra suum Vicarium oppositis, sed ipsum Capitulum potest per se de eiusmodi causa cognoscere & constito de justa recusatione & exceptione causam alteri non suspecto com mittere. *Ita Garzias de Beneficijs par: 5. cap. 7. num: 2: Declarat: 10. Piasecki noster in proœmio praxis suæ num. 22.* Ubi subiungit, Quod Vicarius à Capitulo electus si fuerit impeditus infirmitate, vel alio impedimento non potest alium subdelegare, sed eiusmodi subdelegatio spectet ad ipsummet Capitulum, nisi ad aliquem casum singularē vertentem seu ad quid modicum. Allegatq; Cardinalem in *Clemen: Vnica, tit: de Officio Vicarij, Hostiensem in cap: Clericos eodem tit: & Quarantam sub verbo Capitulum sede vacante Episcopali num. 1*. Quod est notandum. Nam apud nos Vicarius Capitularis sede vacante Episcopali electus à Capitulo absq; scitu & consensu Capituli eligit sibi locū tenentem.

Vigesimus 8vus casus est. Quod Vicarius Capitularis, sede vacante non potest judicare vel excommunicare Capitulum: Piasecki loco citato. Ratio redditur. Quia Iurisdictio non potest redundare contra dantem Iurisdictionem.

Vige-

Vigesimus nonus casus est. Quod si alicui alteri competat collatio alicujus Beneficij cum Consilio Episcopi non extante Episcopo potest ille solus conferre non requisito consilio Capituli. *Ita Honorius ubi supra & allegatur pro hoc text. in cap: Vnico. § final. Ne sede vacante.*

Si autem spectaret ad illum collatio alicuius Beneficij cum consensu Episcopi non potest ille solus conferre idq; etiamsi periculum sit in mora, & etiam dato, quod consensus non possit obtineri juxta eundem *Honorium pro quo allegat gloss: in cap. 1 sub verbo Cum Consilio Episcopi tit. Ne sede vacante &c. & aliam gloss: in cap: si per Te sub verbo assensus tit: de Rescriptis lib. 3 Decret.* Et cum conferre nequeat non currere ipsi sex menses ad conferrendum Beneficium, *ut habetur in cap. diversitatem tit: de concessione Præbendarum, & in cap. Finali, tit. de electione.*

Trigesimus casus est, Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante, non potest concedere licentiam ingrediendi Monasteria Regularibus subiecta. *Ita Tambur. ubi supra quæst. 1. atq; sic à Sacra Congregat. fuisse decisum refe t.* Ratioq; redditur: quia hæc licentia ingrediendi Monasteria Regularibus subiecta præcise spectat ad Regulares quibus Monasteria dicta monialium sunt subiecta, ita ut nec ad Episcopum, nec eius Vicarium nec ad Capitulū sede Episcopali vacante & eius Vicarium spectare potest.

Mortuo autem generali vel Provinciali posse dari dictam licentiam ab eorum Vicarijs: cum hoc per Bullam

Iulij II. Summi Pontificis concessum sit. *Ita Tamburinus d. disp. 23. quæst. 2 num. 3.*

Sed *Riccius in praxi aurea par. 4. Resol. 192. ad finem scripsit.* Quod Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante potest eandem licentiam concedere, & consequenter Vicarius Capitularis, & pro hac opinione allegat Sanchez in summa Theologiæ moralis *tomo 2. lib: 6. cap. 15. num. 130* & tanto magis ipsemet Episcopus maxime ubi d. Bulla Pij V. Summi Pontificis non sit recepta.

Jn hoc conveniunt omnes DD. quod Abbatissa dictarum Monialium præmissam licentiam ingrediendi Monasterium suum non potest concedere, ut Riccius loco citato scripsit.

Trigesimus primus casus est, Non potest Cathedrale Capitulum sede Episcopali vacante, sed tantum eius Vicarius instituere concursum ad Ecclesias Parochiales collationis Episcopi, & aliorum Patronorum spiritualium, de quo late scripsimus supra in par 2. casu 22. versu si autem Beneficia fuerint Parochiali.

Trigesimus secundus casus est. Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante licet potest dare licentiam ædificandi Ecclesiam, ut per hoc acquiratur Ius Patronatus ut supra par: 2. Cas. 47. scripsimus. Non tamen erigendi nova Monasteria. *Ita Barbosa d. cap. 42 num: 60 allegatq; cap: 3. Concil: Triden. sess: 25.* de Regularibus & ita censuisse sacram Congreg. Concilij Trid. refert. Idem scripsit & *Lotter in Tract: de Re Beneneficiaria lib. 1 quæst: 21. num 61.*

Trige-

Trigesimus tertius casus est. Capitulum Cathedr: sede Episcopali vacante non potest Clericum subijcere Iudicio Laicali: quia nec Episcopus id potest facere. *Piasecki in praxi sua Episcopali par: 2. cap: 4. art. 3 num 4. per Iura canonica ab illo allegata.*

Trigesimus 4tus casus est. Quod Capitulum Vicarium suum potest absolvere à censuris, si quas incurrit & indiget absolutione. *Ita Piasecki in proœmio praxis suæ Episcopalis num: 22. versu ad superioritatem quoq; remanentẽ, pro quo allegat text: in cap. unico: tit. de maioritate & obedientia lib, 6. Decretalium.*

Plures casus in quibus Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante succedit vel non succedit in Iurisdictione Episcopali, videre licet apud Doctores præfatos à me allegatos.

PARS IV.

De Electione Officio & Potestate Vicarij seu (juxta nos) Administratoris sede Episcopali vacante.

PUNCTUM I.

De ijs quæ de Iure communi & Concilio Tridentino in hac materia disposita sunt.

Licet Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante ex dispositione antiqui Iuris poterat per seipsum admini-

strare Bona Episcopalia & exercere Iurisdictionem, nec tenebatur constituere Vicarium, ut scripsit *Felinus in cap. cum olim tit: de maioritate & obedientia, Ricci: in praxi fori Ecclesiastici decis: 474. num, 1. sed per Conc: Triden. cap. 16 sess. 24 de Reform* aliter dispositum ut sequitur. Capitulum sede Episcopali vacante ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit Oeconomum unum vel plures fideles ac plures diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant quorum rationẽ ei ad quem pertinebit sunt reddituri.

Jtem Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur qui saltem in Iure Canonico sit Doctor vel Licentiatus vel alias quantum fieri poterit idoneus, si secus factum fuerit ad Metropolitanũ huiusmodi devolvatur deputatio Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exẽpta Capitulumq; ut præfertur negligens fuerit tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex ijs quæ ad eum spectant ab ijsdem Oeconomo Vicario, & alijs quibuscunq; Officialibus, & Administratoribus, qui sede vacante fuerant à Capituluo vel ab alijs in eius locum constituti etiamsi fuerint ex eodem Capitulo rationem exigat Officiorum, Iurisdictionis Administrationis, aut cuiuscunq; eorum muneris

neris possitq; eos punire qui in eorum Officio seu administratione deliquerunt etiamsi prædicti Officiales redditis rationibus à Capitulo vel à deputatis ab eodem absolutionem, aut libertationem obtinuerint.

Eidem quoq; Episcopo tenetur Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerint rationem reddere, *Hucusq; verba Concilij Triden.*

Cur autem Conc: Triden: statuerit ut Capitulum sede Episcopali vacante teneatur Vicarium constituere Rota Rom: par 2. diversorum decis: 222. num. 6. Rationem reddit propter difficultatem congregandi totum Capitulum præsertim in illis quæ celeritatem desiderarent Tum propter discordias quæ possint oriri inter singulos. Idem scripsit & *Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis: 474.*

Et licet Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante possit plures Oeconomos seu Administratores Bonorũ Episcopalium constituere, ut patet ex verbis Concil. Trid: supra allegati, tamen Vicarium tantum unum: debetq; iste Vicarius esse constitutus in sacris: & inquantũ fieri potest doctor seu licentiatus in Iure vel Theologia. *Ita Antonius Novarius in summa Bullarij par. 1. comment: 38. num 14 & 18. Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 478.*

Non existentibus in Capitulo Cathedrali Doctoribus vel Licentiatis in Iure vel Theologia præsertim talibus rebus gerendis idoneis potest eligi Persona extra Capitulum existens cæteris tamen paribus præferendum esse Capitu-

larem ſcripſit *Piasecki in proœmio praxis Episcopalis num:* 22. *Novarius lococitato num.* 18. *Idem ſcripſit & Genuenſis in praxi ſua cap:* 86. *num:* 1. *ubi adfert Declarationem ſacræ Congregat: Concil: tenoris ſequentis: Sacra Congregatio declaravit,* Quodſi Capitulum eligit non Doctorem, quando haberi poteſt Doctor electio eſt nulla. Jtem quod ſi Epiſcopus demortuus reliquit Vicarium, quem elegerat, cum non eſſet Doctor Capitulum non debet eum confirmare, ſed alium qui ſit Doctor eligere. Jtem non eſſe neceſſarium ut Vicarius ſit de gremio Capituli, ſi tamen eſſet idoneus cæteris paribus eſſe præferendum. *Hucusq; verba Congreg: ſacræ declarat: Concilij Triden:*

Quod ſi ſecus factum fuerit ad Metropolitanum huiuſmodi deputatio devolvitur. Et ſi Eccleſia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana & propinquior in exempta Oeconomium & Vicarium idoneos poſſit conſtituere, ut *habetur in d. cap.* 16. *ſuperius à nobis allegat: ſubiungit tamen Genuenſis loco cit:* quod prædicta declaratio ſacræ Congr. etiam procedat quando devolveretur Electio â Capitulo ad Archiepiſcopum, ut non teneatur eligere de Capitulo.

Notandum tamen eſt. Quod Capitulum poteſt maxime ſi ſit ampla Diœceſis duos Vicarios æque principales conſtituere, vt alternis menſibus Officio Vicariatus fungantur vel unum principalem, & alterum foraneum ſi legitima adſit consuetudo immemorabilis, & dummodo ſint

prædi-

præditi dictis qnalitatibus quas *Concil: d. cap. 16. requirit, Ita Barbosa d cap: 42. num: 33. & Genuen: d cap. 36* inquit sacra Congr: Concilij Triden: fertur declarasse. Quod si Capitulum elegisset plures Vicarios magis idoneus habens qualitates à Conc: Triden: requisitas remanere debet. Sed si elegisset plures Vicarios æque idoneos videtur omnes administrare posse. Nam Capitulum de jure potest facere plures Vicarios, ut late deducit *Pavinus ubi supra par: 2 quæst. 10.* Neq; Conc: Triden: contradicit: Poterat enim dicere unum aut plures, ut dixit de Oeconomo & contra eum qui legem dicere potuit larga si interpretatio regulariter sit contta eum Et sede Neapolitana vacante ob mortem bonæ memoriæ Annibalis de Capua Ar hiepiscopus qui vivens habebat duos Vicarios unum Generalem, & alterum Monialium à Capitulo sede vacante confirmatos fuisse, refert Genuen: loco citato.

Notandum secundo Quod Capitulum sede Episcopali vacante debet eligere Vicarium suum doctoralem qui sit Doctor vel Licentiatus in Iure Canonico, vel Theologia in aliqua universitate non autem à Persona privata. *Ita Barbosa in summa decis, Apostolicarum Collectan: 125. num: 1.*

Notandum tertio Quod potest eligi Canonicus in Vicarium etiamsi curam animarum gerat in Civitate iuxta *Barbosa in summa decis. Apostol: collect. 125. num. 22, Sed Piasecki noster in praxis suæ Episcopalis proœmio num.*

num: 22: versu debet autem eligi Vicarius ſcripſit. Quod hodie poſt Concilium Triden: plures Vicarij à Capitulo non poſſunt eligi, ſicut nec unus ad tempus & ſæpius ſe vidiſſe à ſacra Congreg: Concilij Triden: reprobatas fuiſſe electiones Vicarij ad tempus, vel de pluribus Vicarijs.

Contrarium ſcripſit *Barbosa d. cap.* 42. *num.* 43. referendo quod ſacra Congreg: Conc: Triden censuit Capitulum ſede vacante, poſſe certum tempus in Vicarij deputatione definire quo elapso jurisdictio ipſius expirat, & ita quod poſſit eligere cum clausula, quod non duret niſi per annum. Quamvis ipse Barbosa ibidem num: 45 credit melius fieri, ſi Vicarius Capitularis ſede vacante eligatur libere abſq; ulla contradictione & conditione mutationis prout cenſuit ſacra Congr: Cardin: negotijs Episcoporum & Regularium præpoſitorum, atq; ita conveniunt cum noſtro Piaseccio, ſed tantum variant in allegatione declarationum ſacrarum Congreg.

Poteſt Capitulum Cathedrale eligere Vicarium ſuum Capitularem, non ſolum ſede Epiſcopali vacante per mortem ſui Episcopi, ſed etiam in caſu translationis ad alium Episcopatum habita notitia etiam ex teſtimonio ſeu documento ſecretarij ſacri Collegij quod ſcilicet Episcopus à vinculo ſuæ Eccleſiæ in Conſiſtorio ſanctitatis ſuæ ſit abſolutus. Idq; etiam ante expeditionem Literarum Apoſtolicarum. vel ante adeptam poſſeſſionem alterius Eccleſiæ. Idq; intra dies 8. à die notitiæ. Ita ſacra Congreg: Concilij Tri-

Triden: die 14 Decembris Anno Domini 1624. declaravit, *ut refert Barbosa collect: 125 num. 7, & in Collectaneis decret: ad cap. 1. tit: de Translatione Episcop. Piasecki ubi supra num:* 22 vers: similiter à die notitiæ translationis Prælati ad aliam Ecclesiam: ubi tamen subiungit dummodo notitia illa sit certa & probari possit; vnde oportet (dicit) ut literæ sint expeditæ in Cancellaria Romana super translatione, & non possent expediri intra octo dies & posset longius retardari illarum expeditio aliquo casu, vel morte Papæ per istas enim solum probatur translatio facta. cap: Executor *tit. de translat: lib. 6, Decret: & Seraphin decis.* 27. Nec credetur translato petenti possessionem secundæ Ecclesiæ sine talibus literis: & tamen ad perfectam translationem requiritur, ut inducatur in possessionem secundæ Ecclesiæ translatus ad illam. Nam licet solo decreto Cõsistoriali Papæ acquirat in ea Ius; possessionem tamen ejus non acquirit, nisi in eam inducatur ut notant Doctores in cap: cum Bertold: tit: de Re Iudicata. Et tum demum cum habuerit possessionem realem pacificam secundæ Ecclesiæ amittit possessionem primæ Ecclesiæ, ut dici possit vacare *juxta text: in Clemen: Gratiæ, tit: de Rescriptis, & Hoiedanus in Tract. de Incompatibilit. Benef. par. 1. quæst:* 3. Alioquin posset evenire ut translatus excideret, & à prima & à 2da Ecclesia quod esset iniqvum: faceret enim suam conditionem deteriorem quam Papa intendit facere meliorem dum transfert maxime vero hoc timendum esset

in lon-

in longinquis locis ut ultramontanis, quando occurrere posset difficultas aliqua in adeunda possessione secundæ Ecclesiæ, ut meo tempore accidit Bernardo Maciejovio (postmodum facto Cardinali,) qui de Ecclesia Luceoriensi translatus ad Vilnensem ab istius possessione prope armis Lithuanorum (eo quod non e et eorum nativus) fuit repulsus. Et Clemens VIII. Summus Pontifex, tunc declaraverit ipsum jure retinuisse primam suam Ecclesiam Luccoriensem prout retinuit sine aliqua nova electione vel provisione, donec postea fuit translatus ad Episcopum Cracovien: *Hucusq; Piasecki. sed Quaran: in summa sua Bullarij sub verbo Capitulum sede vacante fol: apud me* 182. ver: Terminum octo dierum, & alij Doctores (præter supra allegatos) contrarium tenent; dum inquit: Terminum octo dierum post mortem Episcopi præscriptum Capitulo ad constituendum Vicarium ex Conc: Triden: decreto sess: 24. de Reform. cap. 16 refertur sacram Congreg: Conc. Triden: declarasse currere Capitulo etiam à die translationis Episcopi ad aliam Ecclesiam: quando tamen à Summo Pontifice fuerit Episcopus absolutus à vinculo prioris Ecclesiæ, quia tunc proprie dicitur vacare sedes per translationem etiam ante adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ *juxta Hostien: in sua summa de translatione Episcopi num. 6 Abbatem par. 2: cons. 101* & alios Doctores, & tunc cessare Administrationem & fructuum perceptionem censuit sacra Con-

greg:

gregat: super causis Episcoporum quidquid dicat Alphonsus Hoieda *in Tract: de Benefic. incompatib: par.* 1. *cap* 3. *num.* 12 *Hucusq́, Quaranta.* Cuius opinio & aliorum idem tenentium (ut supra allegatorum) probabilior & verior mihi videtur. Et hanc opinionẽ amplexa est Rota Romana *par:* 1. *recentiorum decis.* 475. *ut eandem allegat Barbosa ad d. cap.* 16. *Concil, Triden. num.* 11. *Eandem opinionem tenet Novarius in summa Bullarij par.* 1. & 2. *sub verbo Capituli Vallensis lib:* 3: *Decret tit.* 9. *ad finem.* Per illos autem 8. di. Administratio & Iurisdictio remanet penes ipsummet Capitulum Ita Quaran. ubi supra versu, Primo dubitatur, ubi subiungit: quod Capitulũ dictum terminum 8 dierũ pro Vicarij electione restringere possit breviorem statuendo allegatq; *text. in cap: Ecclesia vestrata de Electione ibiq́. Abbatem quẽ Quarantam vide ibidem folio apud me* 182. *versu terminũ* 8 *dierum. Idem scripsit Genuen: in praxi sua cap:* 86. *num:* 6. *Et licet Iacobus Sbrottius de Officio Vicarij lib.* 1. *quæst.* 61 & *alij Doctores allegat: à Barbosa ad d. cap* 42 *num* 19. teneant quod Archidiaconus per illos 8 dies Administrationem & Iurisdictionem habere debeat, sed Quaran: & Genuen locis cit: & alij DD. doctrinã Sbrotij refutant per rationes ab illis allegatas Et prima opinio in praxi servatur. *Idem scripsit* & *Barbosa ad d. cap.* 16, *num.* 29. ubi refert à sacra Congregat: fuisse declaratum. & *in d. cap.* 42. *num,* 29.

An autem Capitulum sede vacante Episcopali facta electione & confirmatione Vicarij possit illum postea ad li-

 bitum

bitum revocare: Aliqui affirmant. *Ita Pavinus ubi supra parte 2. quæst: 10. num. 7. & alij quos refert. Quaran: ubi supra, versu 3 dubitatur. Garzias de Beneficijs par. 5. cap. 7 num: 23. & ita à Sacra Congr: fuisse daclaratum.*

Sed contrarium tenent alij Doctores, præcipue post Concilium Tridentinum, quod huiusmodi amotio & revocatio non debeat fieri sine causa. *Ita Quaranta ubi supra, versu 3 quæritur.* Rationem reddit: quia absq; causa variatio à Iure communi improbatur ex annotatis perscribentes, *in cap. Publicato. tit: de Electione.*

Ampliatq; ibidem etiamsi Capitulum circa Electionẽ eiusmodi Vicarij clausulam de illo amovendo: vel Clausulam Ad bene placitum apposuerit. Nam hæc clausula ad beneplacitum non importat liberam voluntatem, sed ad arbitrium boni viri referri debere.

Jdem scripsit & *Piasecki noster in proæmio suæ praxis Episcopalis num. 22* versu sine tamen causa gravi & justa non posset eum revocare; & refert tales & similes conditiones à sacra Congreg: Concil: Triden: sæpe reijci.

Jdem scripsit *& Barbosa in d. Tract de Canonicis & Dignitatibus cap. 42 num: 31.* & refert sic à sacra Congregat: Cardinalium de negotijs Episcoporum & Regularium fuisse declaratum.

Jdem scripsit in additionibus ad d cap. 16. Con: Trid: num: 14. Videatur & in decisionibus Apostolicis collectan. 125. num: 9.

Inter juſtas causas deponendi & revocandi Vicarium, iſtæ à Quaranta ubi ſupra ver. 3 quæritur enumerantur.

Prima Quando in officio ſuo negligens admodum eſſet per text: in L. finali digeſtis ubi pupilli educari debeant, & in L. ſi quos Codice, de Officio Præfecti Prætorij Et eo magis ſi ob eius negligentiam juſtitiâ non adminiſtratâ aliquis mortuus fuerit.

Secunda causa iuſta adfertur: Quando prævaricaretur in ipso Officio illud male gerendo, ſcilicet vendendo juſtitiam

Tertia causa juſta allegatur: Quando appareret inſufficiens in exercitio illius Officij. Quas causas *Quarant. ſumpſit ex Menoch. lib. 1, quæſt: 55. in Tract: de arbit. Iudicum.*

Dubium ſecundum oritur. An Vicarius electus à Capitulo ſede Episcopali vacante poſſit alium in locum ſui ſubſtituere? Riccius negativam tenet in loco citando. Niſi à Capitulo haberet facultatem ſubſtituendi alias non. Ita in prax: fori Eccleſ: deciſ: 477. ubi adfert plures deciſiones Rotæ Romanæ.

Vel niſi adſit juſta causa vg, infirmitatis vel brevis absentiæ, aut alterius impedimenti ad breve & modicum tempus *Ita Riccius loco cit: Genuen: in praxi ſuæ cap. 86. num. 13, Doctoreſq; ab eo citati,*

Quamvis *Faguan: in cap: His quæ tit, de Maioritate & Obedientia à num: 73. par 2. lib: 1. Decret,* Videtur contrarium

rium sentire, dum inquit: Sacra Congregat: Concil: substitutionem faciendam propter absentiam Vicarij vel aliorū Officialium spectare ad ipsos Officiales seu Vicarios, non autem ad Capitulum. Redditq; rationem: Quia vacante sede Episcopali Iurisdictionem principaliter residere penes Capitulum: Exercitium vero jurisdictionis remanere penes Vicarium à Capitulo deputatum

Dubium tertium oritur: si Vicarius Capitularis vigore facultatis à Capitulo sibi datæ substituendi alium, an mortuo Vicario expiret Iurisdictio ab eo substituti? Capella Tholosana decis: 369, Doctoresq; ab ea citati, tenent quod expiret potestas substituti. Allegatq; rationem à simili, de eo quod dicitur de mandato procuratoris: quod morte mandantis, mandatum finitur, sicut & per mortem delegantis expirare delegationem.

Sed *Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 479. contrarium tenet cum hac tamen distinctione.* Aut Vicarius habuit facultatem à Capitulo substituendi alium in locum sui. aut non habuit. Jn primo casu per mortem eius non extinguitur potestas substituti. Retionem reddit: Quia huiusmodi substitutio censetur facta ab ipso Capitulo, ministerio substituentis & ita fuisse à Rota Romana resolutum refert.

Jn Vicarium Capitularem transit omnis jurisdictio quā habet Capitulum nisi Capitulū aliqua singularia sibi reservasset,& cautius facit si sibi aliqua reservet. Imo si expresse non concederet quædam singularia penes ipsummet Ca-

pitulum

pitulum manent, ut dispensare in casibus necessitatis, in quibus posset dispensare, dimissorias dare quando posset: Ab excommunicatione etiam ad finem revelationis. vel à casibus reservatis præsertim virtute capitis sexti sess: 24 Concilij Trident: de Reformatione Pœnitentes absolvere, vel de causa Hæresis cognoscere. Penes Capitulum enim residet talis plenitudo Iurisdictionis. Nec generali concessione eius veniunt ea quæ requirunt speciale mandatum, argumento textis in cap: finali, de Officio Vicarij in sexto. *Ita Piasecki in proœmio praxis suæ Episcopalis, num: 22, versu*, Potest tamen Capitulum circa Electionem Vicarij. *Quaranta in summa Bullarij, sub verbo Capitulum sede vacante, folio apud me 183. versu 4. dabitur. Novarius, in summa Bullarij, par: 1. commentario 30. num. 17 & alij DD.*

An autem Capitulum, constituto Vicario, possit aliquam causam alteri delegare? controvertunt Doctores. Cardinalis in Clementina statutum *tit: de Rescriptis, Pavinus ubi supra, quæst 1., affirmant, sed Genuensis in praxi sua cap: 86. num: 2: scripsit*: quod post Concilium Trident: aliud videatur dicendum; siquidem cum non possit administrare per seipsum, sed per Vicarium, in quem, Conciliũ transfert potestatem, non potest ab eo illam auferre & alteri delegare, nisi ex justa causa, nempè suspitionis vel alia casu simili

A Vicario Capitulari, non ad Capitulum, sed ad superiorem interponenda est appellatio. *Barbosa dicto cap: 42, num. 60.*

Vica-

Vicarius Capituli, poteſt absolvere illum, cuius abſolutionem Summus Pontifex commiſit Episcopo, vel ejus Vicario. *Ita Genuenſis ubi ſupra, num. 12.*

Sicut Episcopus habens amplam Diœceſim, non poteſt cogere partes ex loco longinquo ad litigandum coram ſe; ſed debet delegare causam alicui, maximè ſi ſit causa modica, & locus ſit maximè diſtans, ut Rota Romana d. deciſ. 297. definivit. Idem videtur dicendum, & de Vicario Capitulari, quod non poſſit cogere.

An Vicarius Capitularis ſede Episcopali vacante poſſit ſibi prætendere talem præcedentiam, qualem habet Episcopus ſede plena? *Barbosa, in Tract: de Canonicis & Dignitatibus, cap. 36. num:* 8. pulchre hanc dubitationem, tractat & resolvit. Quod Vicario Capituli ſede Episcopali vacante præcedit prima dignitas poſt Episcopum: non autem illi præcedere alios Canonicos, ſeu Dignitates ſecundarias, & ſic à Sacra Congregatione Rituum. Anno Domini 1630 in Mense Septembri fuiſſe resolutum refert. Rationem reddit: cur prima dignitas præcedat Vicario Capitulari? Quia ſicut ſe habet Vicarius Episcopi ad Episcopum; ita regulariter habet ſe Vicarius Capituli ad Capitulum, ſed Episcopus præcedit Vicario ſuo, ergo æqvum eſt, ut ſaltem prima dignitas Capituli præcedat Vicario ejusdem Capituli, quæ tanquam caput repræſentat, & continet eminenter totum corpus Capituli, juxta text: in Can: Legimus, juncta gloſsâ, ſub verbo continetur, diſtinction: 93.

Quo

Quo ad alias vero Dignitates & Canonicos, ex eà ratione non præcedunt Vicario Capitulari: quia ſicut Vicarius Episcopi facit idem Conſiſtorium, & reputatur una eademq; persona cum Episcopo; ita ut ab eo ad Episcopum appellatio non detur, juxta textum in cap: Romana, de appelationibus: cum appellatio de neceſſitate facienda ſit, ab inferiori ad ſuperiorem, non autem à pari, ad parem; neq; ab eodem ad ſeipsum, ut habetur in Can: Anteriorum, paragrapho. Jllo videlicet, causa prima quæſt: 6. Jta & Vicarius Capituli, reputatur una & eadem persona, & facit unum & idem Tribunal cum Capitulo: ita ut ab eo, ad Capitulum, tanquàm à pari, ad parem; vel ab eodem ad ſeipsum appellatio non admitatur Regulariter enim valet argumentum, à Vicario Episcopi, ad Vicarium Capituli, & è converso ut ſcripſit *Sbrozzius de Officio Vicarij. lib. 3. quæſt: 32.* ſed ſinguli Canonici, non reputantur vna & eadē persona cum Capitulo: neq; ipsum repræſentant. Cùm aliud ſit aliquod corpus, ſive Vniverſitas, quæ eſt persona ficta; & aliud ſingulares eiusdem, quæ ſunt personæ veræ, juxta textum in L. In tantum, § vniverſitatis, digeſtis, de Rerū diviſione: Ergo non debent præcedere Vicario qui non ſingulorum, ſed totius Capituli gerit vices, imò eandem poteſtatem exercet.

Jntellige in Vicario Capituli non Canonico: Nam ſi Canonicus fuerit, debet ſedere in loco proprio ſui Canonicatûs, antiquioribus non præcedendo. Ratio redditur: Quia

Quia in Capitulo non consideratur ut Vicarius, sed ut Canonicus: neq; est dignitas pertinens ad Capitulum, & consequenter non debet causare mutationem loci, *ut in punčto resolvit Aloysius Riccius, in praxi sua, Rerum fori Ecclesiastici decis: 599. vel iuxta editionem aliam apud me, decis: 475 à num 5.* ubi adfert sic à Sacra Congregat: Rituum fuisse declaratum: coram quâ Sacrâ Congregatione cumq́; fuisset dubitatum; An Canonicus, Vicarius Capituli deberet præcedere Canonicos, fuit resolutum negativè. Et præter dictam rationem supra allatam, subiungit; num: 7. quòd Episcopus Canonicus, debet sedere in loco Canonicorũ quando sumus in actibus Capitularibus, habebit tamen primũ locum post Decanum seu Præsidem, *Allegatq́ pro hoc Abbatem in cap. Postulasti, num: 13. tit. de concessione Præbend:* debet enim magis honorari propter suam dignitatem, quæ est inseperabilis â persona. Id quoq́; addo: quod Vicarius à Capitulo sede Episcopali constitutus si sit Canonicus ut lucretur distributiones quotidianas debet sedere in loco sui Canonicatus. *Ita Genuensis in praxi sua cap: 86. num. 8. ubi dicit hanc opinionem esse communem per: tex in cap: A collatione tit. de Appellationibus lib. 6. Decretalium. Idem scripsit ibidem num: 15.*

Vicarius Capitularis, sede Capitulari vacante, potest personas Capitulares judicare, & excommunicare. (nisi Capitulum hoc sibi reservasset) sed tamen cum adiunctis deputatis à Capitulo: prout & Episcopus tenetur ex Con-

stitut:

stitut: Concilij Trident: cum ejusmodi adiunctis Personas Capitulares judicare. *Piasecki in proœmio praxis suæ, num 22, § Hinc etiam venit.*

Non potest tamen judicare, vel excommunicare ipsū Capitulum. Ratio redditur: Quia Iurisdictio non potest redundare contra dantem Iurisdictionem.

Ampliaturq; etiamsi Vicarius hic constituatur ab Archiepiscopo, seu Viciniore, Episcopo, in casu negligentiæ Capituli. *ita Suarez, de censuris, disput, 7. sectione 3. & eum secutus Piasecki ubi supra.*

Vicarius Capitularis, sede Episcopali vacante, non potest concedere dimissoriales, in illis casibus in quibus potest Capitulum ipsum concedere juxta supra scripta, nisi à Capitulo habuerit ad id speciale mandatum. *Ita Piasecki noster in praxi sua Episcopali, par. 1. cap. 1. art. 2. num: 22. videatur & Quaran: ubi supra, quæsito 10. Barbosa, d. cap: 42 num 125. quos vide.*

Ampliaturq, Quòd Capitulum & Vicarius eius sede Episcopali vacante, non possit infra annum vacationis sedis Episcopalis, dimissorias dare, etiam ad primam tonsuram. *Quaranta ubi supra, quæsito 14. Garzias, dicta par: 5. cap. 7. num: 95. Riccius in praxi sua aurea, resolut: 106. & alij Doctores.*

Et si dederit, incidat in pœnam *cap: 10. Concilij Trid. sess: 23. de Reformatione.* Nisi is, qui primâ tonsurâ ini, tiari desiderat, sit proximo beneficiandus, & posset suspi-

cari, quod ob defectum ordinis, amissurus sit Beneficium. *Ita Barbosa d. cap. 42. num. 117.* Ubi num sequenti adfert Rescriptum à Sacra Congreg: Episcopo Squillacensi die 13. Januarij Anno Domini 1594. tenoris sequentis: *Vicarium sede vacante posse literas dimissorias ad primam tonsuram concedere*, etiam infra annum Laicis qui expectant præsentari per Patronos ad aliqua Beneficia. de quo tamen vide etiam quæ supra scripsimus.

Vicarius Capitularis, substituens alium Vicarium virtute potestatis sibi traditæ ab ipso Capitulo, non tenetur de facto seu periculo substituti, si aliqua culpa ei imputari non potest. *Ita Riccius in praxi fori Ecclesiastici, decis: 480. Doctores ab eo citati:*

Rationemq; reddit Quia videtur hic Procurator constitutus à Capitulo, mediante Persona Vicarij, cui concessa fuit facultas substituendi, ut dicit glossa *in cap: 1. tit: de Procuratoribus, lib. 6. Decretalium* sed Procuratorem substituente non tenetur de facto substituti. Ergo vide quæ supra scripsimus. An autem Capitulum de facto videlicet Vicarij à se constituti, teneatur: *Genuensem in praxi sua 86. num. 10.* ubi affirmat Capitulum teneri, nisi quanto citius sciverit, purgaverit ejus delictum.

Vicarius Capitularis, debet habere salarium ex Bonis Ecclesiæ vacantis Ratio redditur. Quia nemo tenetur suis stipendijs militare, *ut habetur in Can: Iam nunc, 28. quæst: 1. & in capit. Cum ex Officijs de præscriptionibus.*

Ampli-

Ampliaturq; etiamsi Vicarius sit Canonicus, vel alias de gremio ipsius Ecclesiæ, quia illud salarium est pro labore quem exercet. *Ita Pavinus de Potestate Capituli sede vacante, par: 2. quæst. 10. num: 5. Sbrozzius de Officio Vicarij, lib. 1. quæst: 55, num 7. & alij relati Doctores à Barbosa in d: cap: 42 n. 68. cum quibus Idem tenet, quibus addo Piasecium nostrum in proœmio suæ Episcopatis, num: 22. versu Præmissa consequitur Genuensem in praxi dicto cap: 86. num: 9.* Quod & apud nos servatur.

Jurisdictio Vicarij à Capitulo constituti cessat, cessante Capituli potestate, quæ regulariter desinit, cum novus Episcopus, literas Apostolicas suæ promotionis expeditas, seu earum transsumptum authenticum præsentat *juxta Rebuffum in praxi sua, tit: de Simonia num: 11. Henriquez, consilio 29, num: 4. & habetur in Extraneganti Iunctæ, tit: de Electione.* Quia Episcopus non potest Episcopatum administrare, nisi literis expeditis, in tantum, quod non sufficiat Episcopum fuisse promotum, ad aliquam Ecclesiam, nisi literæ sint expeditæ: cum semper duret vacatio sedis Episcopalis, donec Bullæ Apostolicæ fuerint expeditæ & Capitulo præsentatæ.

Quamvis *Parisius in Tract: de Resignatione Beneficioru lib: 7, quæst 23, à num: 46.* sit istius opinionis, cessare vacationem, & potestatem, statim post Provisionem in Consistorio, de Prælato, ante captam possessionem juxta decisionem Rotæ Romanæ in una Burgensi Canonicatus, 28.

Januarij, Anno Domini 1585, coram Gypsio, sed ab hac decisione, postea Rota Romana recessit in eadem causa, tertia Junij dicti Anni ut testatur *Gonzalez super octava Regula Cancellariæ de Altern: glossa 15. § 2. num: 88, Idem tenet Barbosa de Officio & Potestate Episcopi allegatione 54. num. 160* affirmans, sedem vacare, donec literæ Apostolicæ novi Prælati fuerint expeditæ; cum non possit administrare nisi literis expeditis, & Capitulo præsentatis.

Sed quidquid scripserint præfati Doctores, hodie inolevit ubiq; praxis, ut Vicarius Capitularis Officium exercere valeat donec novus Prælatus adeptus fuerit possessionem. *Ita scripsit Favinus, ubi supra, par: 1, quæst: 19, Idem & Novarius in summa Bullarii par. 1, sub verbo de Capitulo sede vacante comment: 38. ad finem. Idem annuit & Barbosa in d, cap: 42 num: 13, ad finem, Idem scripsit & Piasecki noster in proœmio praxis suæ Episcopalis. num. 22, ad finem* Potestatem Capituli, & Vicarij ab eo constituti cessare, si literæ authenticæ ad capiendam possessionem ex Curia Romana fuerint expeditæ, earumq; vigore Episcopus novus, possessionem Episcopatus petat sibi tradi. Absq; literis autem talibus, Capitulum non teneri cedere de exercitio suæ Iurisdictionis, vel inducere promotum ad possessionem.

Vbi etiam subiungit: Potestatem Capituli consequenter & Vicarij à se constituti, cessare, si Summus Pontifex, sedi vacanti daret Administratorem; talis enim, Administrator æquivaleret Prælato vel Capitulo, & ipse posset cōstituere

stituere Vicarium: *allegatq; pro hoc text: in cap. Is cui, de Electione lib: 6. Decretalium. Quarantam, ubi supra § 14. dubitatur, & Sbrozzium loco citato, lib. 1. quæs. 62. sed hoc apud nos vix practicabile fuit.*

Id quoq; notandum; Quòd Capitulo excommunicato seu interdicto manet Iurisdictio Vicarij Capitularis suspensa, *Quaranta in summa Bullarii sub verbo Capitulum sede vacante, ad finem, & Piasecki in proæmio praxis suæ Episcopalis, num: 22,* § Potest tamen Capitulum circa Electionem Vicarij.

Notandum secundo. Quod Vicario Capitulari ut suspecto recusato recurri debet ad Capitulum ut cognoscat causam recusationis: & constito de justa recusatione, Capitulum, causam committat alteri non suspecto. *Ita Piasecki ubi supra.*

Deniq; Vicarius Capitularis, tenetur stare syndicatui, & reddere rationem suæ administrationis Episcopo successori, etiamsi illam reddidisset Capitulo, & ab eo, vel ab ejus deputatis obtinuisset absolutionem, aut liberationem. *Ita Barbosa in dicto cap: 42. num: 136. per text: Concil. Trid. cap. 6, sess. 24. de Reformatione. Idem scripsit & Quaranta in summa Bullarij, sub verbo Capitulum, folio apud me 182, versu, Cum Vicarii & alii Doctores communiter.*

Hæc breviter, quoad hanc materiam scripsi, tanquam magis practicabilem. Alia poterit benevolus Lector videre in Doctoribus à nobis citatis, & præcipuè, Pavinum, qui de pote

potestate Capituli sede vacante, copiosum edidit tractatū.

Pro complemento tamen istius partis tertiæ, placuit hîc apponere formulam constitutionis Vicarij à Capitulo sede Episcopali vacante.

FORMA

Constituendi Vicarij à Capitulo sede vacante Episcopali.

NOs Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis N. sede vacante per obitum bonæ memoriæ N. Episcopi &c. Perillustri &c. salutem in Domino sempiternam. Cùm ex Sacrorum Canonum dispositione, Ecclesiarum Cathedralium Capitula, in deficientium Episcoporum (præsertim si ex humanis eximi contigerit) locum subrogentur, eisq; in spiritualibus & temporalibus succedant: Eorum munus erit viduatis Ecclesiis ita consulere, ut ministrorum solertia, & diligentia viduitatis incommoda minimè sentiantur. Ne igitur supra dictæ Ecclesia, Nostri culpa, aliquid detrimenti in spiritualibus & temporalibus patiatur: Nos dictis sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis obtemperare volentes; vocatis omnibus & singulis Canonicis infra tempus à dicto Concilio statutum, ad Vicarium, qui vices Nostras sustinere debeat deputandum; congregatisq; iis, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt interesse, habitisq; interessentium votis, de consensu & voto eiusdem Capituli, Te Perillustrem &c N. de cuius probitate,

scien-

ſcientia, ſufficientia confiſi, generalem in Spiritualibus & temporalibus Vicarium Noſtrum in prædicta Eccleſia Cathedrali, Civitate, & Diœceſi tenore præsentium deputamus, creamus, & conſtituimus, toto tempore ſedis Epiſcopalis vacantis, cum omnibus & ſingulis facultatibus, privilegiis, honoribus, oneribus, præeminentiis & prærogativis, ad huiusmodi munus exercendum neceſſariis & opportunis dantes Tibi plenam & liberam poteſtatem, omnia & ſingula exercendi, quæ Capitulo ſede Epiſcopali vacante, in utroq; foro, à Iure permittuntur: Et proinde cauſas omnes tam civiles, quàm criminales, & mixtas, etiam Hæreſis, & matrimoniales, audiendi, & providendi, decidendi, cum facultate excommunicandi, & censuras proferendi: nec non ea omnia faciendi, quæ Nos facere & mandare poſſumus, etiamſi ſpeciale mandatum requirant. Et quod in caſu infirmitatis, vel abſentiæ ſubſtituere alium poſſis in locum ſui & cauſas delegare. Reservantes Nobis, (hic ſcribantur ſi quæ Capitulum ſibi reſervaverit) Præcipimus itaq; univerſo Clero huius Civitatis & Diœceſis, aliisq; huius Eccleſiæ Iuriſdictioni ſubiectis, quatenus Te in Vicarium Officialemq; noſtrum generalem recipiant: Tibiq; in omnibus præmiſſis pareant, & obediant, dantes Tibi vices, & voces noſtras &c. Contradictores, & inobedientes, pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis compeſcendi: & ita Te Vicarium deputamus, cum ſolutione ſalarij &c. In quorum fidem præſentes ſcribi juſſimus per Notarium noſtrum, & manu propria ſubſcripſimus: Datum in Noſtro Capitulo Eccleſiæ Cathedralis N. Die, Menſe, Anno.

Hæc

Hæc formula desumpta est à Nobis ex *Quaranta in summa Bullarij sub verbo Capitulum sede vacante, ad finem, quam etiam formulam Barbosa in d. cap. 42. num. 157.*

Apud Nos autem ejusmodi constitutionis Vicarij forma non servatur, sed tantum Notarius Capitularis, in Actis Capitularibus, eiusmodi constitutionem connotat, sed ego censeo, quod securius sit, non tantum in Actis Capitularibus connotare, sed privilegium (modo quo supra) conscribere, & extradere, ut quilibet possit recurrere, quales facultates Vicarius constitutus, habeat à Capitulo sibi datas.

PARS V. & VLTIMA.

De Electione, Potestate, Officio, Vicarij seu Administratoris à Capitulo sede Episcopali vacante constituti, vigore Constitutionum Nostrarum Provincialium.

DE Electione Administratoris sede Episcopali vacante, extat Constitutio Provincialis, Zbignei de Olesnica, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopi, & Primatis Regni, in libro primo Constitutionum Provincialium Gnesnensium, folio apud me 33. & sequent. ubi Constitutionem Jllustrissimi & Reverendissimi Joannis Sproski, Archiepiscopi Gnesnensis, & Primatis Re-

tis Regni, Prædecessoris sui, pro Bono mensæ, tam Metropolitanæ Gnesnensis quam Cathedralium Ecclesiarum Provinciæ in casu vacationis earundem conservatione, pro futuro Pontifice per ipsum in Synodo Provinciali Łancicicensi Anno Domini 1459. celebrata editam & promulgatam, ab omnibus CoEpiscopis tunc evulgatam innovavit, ratificavit & confirmavit.

Jn qua Constit: d. Ioannes Sprovius Archiepiscopus Gnesnensis & Primas Regni statuit & ordinavit Sacra Synodo approbante, temporibus perpetuis, irrefragabiliter observandum: Quod vacante Ecclesia Metropolitana Gnesnensi sive Cathedrali Provinciæ Gnesnen: corporeq; Prælati defuncti tradito Ecclesiasticæ sepulturæ: Prælati & Canonici tunc præsentes apud Ecclesiam, ingrediantur locum Capitularem, pro tractatu faciendo super negotio Electionis futuri Pastoris: & Bonorum mensæ Archiepiscopalis, sive Episcopalis gubernatione.

Sed postea lib: 3. earundem Constitutionum Provincialium Gnesnensium folio apud me 181 Petrus Gamratus Archiepiscopus Gnesnensis in Synodo sua Provinciali Anno Domini 1541. statuit, ut Executores, Dominorum Archiepiscoporum & Episcoporum defunctorum: seu illi ad quos pertinebit à die mortis in octo diebus ad minus; vel ad summum in quindecem corpora illorum sepelire procurent, si in eorum Diœcesi, eos mortem obire contigerit, si vero extra Diœcesim; tunc duplum ejus temporis habe-

ant. Nihilominus in termino octo dierum à morte Archiepiscopi, Capitula Ecclesiarum, & Capitulum & Administratorem eligere; & Bona Episcopalia in eorum dispositionem recipere debebunt, & tenebuntur.

Quæ Constitutio Petri Gamrati concordat cum Conc: Trident: loco citato ubi statuitur, vt infra octo dies à die mortis, vel á prima notitia, Administrator Bonorum Episcopalium, & Vicarius quoad Iudicia eligatur, de quo videantur quæ supra scripsimus in parte 3. ubi ex Doctoribus ibidem allegatis adnotavimus: Quod dicti octo dies, à morte, vel prima notitia mortis; aut Translationis ad alium Episcopatum possint restringi, & abbreviari: quod & apud Nos in praxi vidi observari.

Nam Capitulum, habitá primâ notitiâ de morte Archiepiscopi, vel Episcopi sui, per Præsidentem tunc Capituli, ad locum Capitularem Prælati & Canonici, tunc penes Ecclesiam residentes convocantur. Et ante omnia, Exequiæ pro mortuo Pastore in Ecclesia Cathedrali decernuntur: & literæ Cridæ scribi mandantur; ut in termino ex ijsdem literis Cridæ proveniente, omnes & singuli Prælati & Canonici compareant, ad constituendum Administratorem sede Episcopali vacante.

Notarius itaq; Capituli in hunc vel similem modum, connotat in Actis Capitularibus.

Actum in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis N die N. Men- N. Anno N. Perillustres & Reverendissimi Domini Prælati & Ca-

& Canonicis, penes Ecclesiam tunc residentes: Habita certa notitia, de morte Illustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi sui N. N. qui die N. Mensis N. anni currentis hora N. vitam temporalem, in æternam commutavit. Primò decreverunt: Quatenùs per Venerabiles Seminaristas (si tunc fuerint, alias per alium Clericum) Parochialibus Ecclesiis, tam intra quàm extra muros Civitatis N. tum & omnibus Religiosorum Conventibus, & aliis Ecclesiis denuntietur mors Illustrissimi & Rndissimi Dñi Lociordinarij, ut audito pulsu campanæ maioris Ecclesiæ Cathedralis, omnes & singulæ campanæ per Ecclesias suas pulsentur. Secundò, ut feria N. Mensis N. omnes Parochiales Ecclesiæ, ad Ecclesiam Cathedralem conveniant, pro Exequiis solennibus, & ibidem, pro anima defuncti Pastoris devotissimè orent. Pro quibus exequijs absolvendis, Capitulum interea ex massa sua florenos. N. extradere mandavit: cum spe tamen refusionis à DD. Executoribus 6. m. defuncti. Tandem & literas Cridæ extradere mandarunt ad eligendum Administratorem sedis Episcopalis vacantis, pro die N. Quarum literarum talis tenor, regulariter conscribitur.

LITERÆ CRIDÆ

Ad eligendum Administratorem sede Metropolitanâ vel Episcopali vacante.

Prælati & Canonici Ecclesiæ Cathedralis N. circa eandem Ecclesiam residentes.

 Illustris

Illustrissimis & Rndissimis (si tunc in Capitulo fuerint Episcopi Regni ut solet fieri) alias non existentibus illis solet scribi, respectu Suffraganei Rndissimo, Perillustribus & Admodū Reverendis Prælatis & Canonicis dictæ Ecclesiæ Cathedralis N, Dominis, & Fratribus Nostris charissimus salutem in Dño,

Cum Illustrissimus & Rndissimus olim Dominus N. Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus N. Pater & Pastor Vigilantissimus, post exantlatos Pastoralis solicitudinis labores, non tam dierum, quàm meritorum in Ecclesia Dei plenus, & inevitabili cælestis ordinationis decreto, die N. Mensis N, Anno N. horâ circiter N. piè, & sancte in Domino obdormierit, & relictis in terra corporis sui exvijs animam suam, pro Nobis coram Domino Deo oratricem, in cælos nostris præmiserit animabus. Nos inhærentes statutis Provincialibus, præsentis Edicti Nostri literas, ad effectum infra scriptum, extradendas, & ad valvas dictæ Ecclesiæ Cathedralis N. publicandas esse duximus, Quo circa Fraternitates Vestras fraternè requirimus: quatenus die N. Mensis N. Anni N. ad eandem Ecclesiã Cathedralem, & solitum locum Capitularem, in termino ex ijsdem literis Cridæ incidente conveniant: ibiq; servatis de Iure & consuetudine servandis, Administratorem Episcopatus N vacantis: & Bonorum eiusdem Episcopatus constituant Iurisdictionem Diœcesanam, & distributionem Clavium Bonorum Episcopalium, cum omnibus & singulis suis Iuribus, & pertinentijs universis, Eidem committant, ac alia omnia, & singula, in præmissis, necessaria, & opportuna, faciant, gerant, exerceant,

ceant, & exequantur. Alias Fraternitates Veſtras certificamus; quod ſive in dicto termino comparuerint, ſive non: Nos nihilominus ad præmiſſa, & alia omnia & ſingula, in præmiſſis requiſita & neceſſaria, procedemus: Abſentiâ Fraternitatū Veſtrarum in quocunq; non obſtante. In quorum fidem, præſentes literas manu Perilluſtris & Rndiſſimi protunc Capituli celebrati ſubſcriptas, Sigillo Noſtro Capitulari communiri, & per Notarium Noſtrum Capitularem, ad valvas Eccleſiæ Cathedralis Noſtræ publicari mandavimus. Datum in eodem Capitulo, die N. Menſe N. Anno N.

Jn termino itaq; ex prædictis literis Cridæ incidente, conveniunt omnes Prælati & Canonici congregati ad locū Capitularem ſolitum & præmiſsâ invocatione Spiritûs Sancti, ad Conſtitutionem Adminiſtratoris deſcendunt. Nihilominus, antequam ad ejuſmodi conſtitutionem Adminiſtratoris vel Bonorum menſæ Epiſcopalis vel Archiepiſcopalis diſtributionem accedant: omnes Domini de Capitulo tunc præſentes, ſingulariter ſinguli, tenentur præſtare juramentum, in manibus Prælati ſuperioris ibidem exiſtentis: Prælatus autem ſenior, in manibus ſequentis. *Ita in dictâ conſtitutione Sproviana, lib: 1. Conſtitutionum Provincialium, folio apud me 37. & in Conſtitutione prima Węzykoviana fol. 70 ſub tit: ſede vacante.* Forma autem dicti Iuramenti, deſcripta eſt in dictâ Conſtitutione Sproviana, loco citato, tenoris ſequentis.

Ego N. juro, quod in Electione Adminiſtratoris, & diſtributione

butione Castrorum, Tenutarum, & Bonorum mensæ. Archiepiscopalis & Episcopalis, huiusmodi nunc vacan: dabo votum meum secundùm Deum, & puram conscientiam, nominaboq; illum in Administratorem, quem scivero, & credidero meliorē & utiliorem pro huiusmodi Officio Administrationis, & gubernationis, non habito respectu ad commodum proprium, consanguinitatem amicitiam, vel favorem: Bonaq; quæ mihi fuerint commissa ad gubernandum, fideliter, & utiliter dispensabo, & tuebor: rationemq; debitam de eis & sufficientem faciam futuro Archiepiscopo vel Episcopo. sic me Deus adiuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Constituto itaq; Administratore receptoq; ab eo juramento, quod debitè fideliter, & justè exequatur Officium sibi commissum proceditur ad distributionem Bonorum, seu Clavium mensæ Archiepiscopalis, sive Episcopalis, isto modo.

Primò quidem non detur gubernatio dictorum Bonorum petenti ipsam, aut per aliquam ordinationem sibi dari procuranti. Et quòd gubernatio castri seu Clavis cujuslibet & uniuscuiusq; non detur, nisi uni personæ tantum, & de gremio Capituli, & non duabus Personis, sicut consvetum erat fieri Quæ persona debebit præstare Iuramentum super restitutione Castri, aut Tenutæ, Capitulo, durante vacatione.

Quo facto, inquirat Administrator vota singulorum primò, super aliquo Castro, seu Tenuta, quis ex gemio Capituli,

pituli, sive tunc præsens, sive absens fuerit magis idoneus, & utilior, pro regimine Castri seu Clavis videatur, & in quem major pars Capituli convenerit, aut consenserit, illi detur gubernatio Castri & Tenutæ, cum sibi adjacentibus Bonis. Et sic fiet de singulis Castris seu Clavibus, aliorum Bonorum Mensæ præfatæ.

Et quidem talis electus Prælatus, aut Canonicus, teneatur, & sit adstrictus, assumere huiusmodi gubernationem, sub pœnâ quatuor marcarum argenti, fabricæ Ecclesiæ applicanda: Iurareq; tenebitur, quod fideliter administrabit Bona sibi concredita; & ejus gubernationi commissa.

Distributis itaq; Bonis mensæ Archiepiscopalis vel Episcopalis, sic ut præmittitur ad gubernandum; Administrator mittat proprium Notarium, aut Capellanum, cum quolibet Tenutario, ad Tenutam sibi datam ad gubernandum, qui coram testibus faciat inventarium in singulis locis Tenutæ; censuum, decimarum Maldratorum debitorum, & aliorum Bonorum derelictorum. Cujus Inventarij scripturam tradat Admînistrator, cum tribus alijs de Capitulo, per ipsum Capitulum, seu majorem partem eligendis, & adiungendis ipsi Administratori, se in ea cum Testibus subscribendo. Sicq; fiat de singulis alijs Tenutis, seu Clavibus.

Secundò; Quod quilibet Tenutarius, receptâ sic per eum possessione suæ Tenutæ, de Authoritate Administratoris

toris non tangat census de Oppido, Villis, aut Bonis alijs Tenutæ suæ provenientes; sed tradat eos in manus Administratoris, ac prædictorum trium de Capitulo, si tale tempus advenerit, in quo census sunt de Jure exigendi.

Tempore verò, in quo census exigendi non sunt soluti, puta, ante Festum Sancti Martini, nullatenus exigantur, sub pœnis infrascriptis, quibus censibus expediendum erit factum Electionis, vel postulationis. in Curia Romana, quatenus necesse fuerit vel de alijs fructibus mensæ Archiepiscopalis, vel Episcopalis: salvis tamen his, quæ in testamento Archiepiscopi, vel Episcopi defuncti, fuerint descripta qui de rebus suis, pecunijs argento, Clenodijs, libris, vestibus, equis, & alijs omnibus per eum undecunq; acquisitis, poterit testari, tanquam deservitis per eum, juxta statutum Concilij Provincialis, & consuetudinem legitimè præscriptam.

Quodsi Archiepiscopum, vel Episcopum mori contingat in Festo S. Martini, vel quocunq; die post Festum Sancti Martini; & inter diem Nativitatis Domini, ipse Archiepiscopus, vel Episcopus mortuus habeat, & testetur de omnibus censibus, decimis & alijs fructibus præteritis, stantibus, collectis, vel apud censitas, vel debitores existentibus; & pro voluntate suâ hæc omnia convertat.

Si verò post Festum Nativitatis Domini, & inter Festum S. Margarithæ aliquo die, & inter Festum S. Martini mori contingat, habeat tertiam partem omnium fru-

ctuum, cenſuum, & decimarum; de quibus teſtari poterit: duabus partibus reſiduis pro ſucceſſore relictis.

Tertiò. Quod decimæ, ſi eſſent aliquæ jam collectæ, & derelictæ vel adhuc colligendæ ſtent etiam intactæ.

Tenutarius autem ſeu Regens Bonorum, vivat ex Allodijs & Molendinis, piscinis, & alijs minutis fructibus, & obventionibus: moderatamq; familiam teneat in Caſtris ſeu Clavibus, & alijs Bonis, & concordem, quæ ſufficiat pro ſervitijs faciendis, in Bonis ſibi commiſſis.

Quiq; Tenutarij ſeu Regentes, Incolas & ſubditos, ipſis ad gubernandum, commiſſos, exactionibus non aggravent; neq; pænas ab eis indebitas exigant, aut quoquo modo gravent, præſertim per inventionem novorum gravaminum, exactionum & tributorum.

Quodq: in ſylvis, gaijs, & nemoribus, ligna ad vendendum non excidant, neq; ea diſtribuant, aut donent: dedebitaq; poſt mortem Pontificum derelicta, non relaxent. Piscinas non effundant ad vendendum piſces; ſed ſine offenſione earum, piscibus utantur pro ſuá neceſſitate.

Si verò de Allodijs, & alijs ſupra dictis, aliquis Tenutariorum, ſeu Regentium, contentari fortaſſis non poſſet: recipere poterit decimam unam, vel plures, pro ſuſtentatione ſui, vel familiæ, cum ſcientia tamen & conſenſu Adminiſtratoris.

Ædificia etiam integra in Curijs Archiepiscopalibus, vel Episcopalibus, & ſupellectilem domorum Archiepiscopalium,

palium, vel Episcopalium, conservent, & non alienent; etiamsi talia fuerint, quæ nondum sunt redacta ad aliquam speciem Ædificij.

Item, si Administratori visum fuerit, aliquem perperam, & inutiliter, aut damnose, administrare Bona mensæ Archiepiscopalis, vel Episcopalis, habeat plenam potestatem auferendi dicta Bona mensæ, & ea tradendi in gubernationem alteri de gremio Capituli, idoneo pro administratione Bonorum prædictorum.

Item, cum de futuro Pastore provisum fuerit, Archiepiscopo, vel Episcopo proviso, postquam præstiterit Iuramentum de servandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ approbatis, faciet ipse Administrator primò rationem, de censibus per eum perceptis, & omnibus alijs Bonis, ac etiam per eum expositis, cum prædictis tribus de Capitulo, quando Archiepiscopo, vel Episcopo placuerit. Et postquã super hoc per eum requisitus fuerit, & in præsentia aliquorum aliorum de Capitulo, per Archiepiscopum, vel Episcopum eligendorum: post hoc & alij similiter facient rationem Archiepiscopo, vel Episcopo, in præsentia Administratoris, & aliquorum de Capitulo, juxta Inventaria facta.

Si quis autem in ratione defecerit ad eorum quæ perceperit, ultra expensas necessarias, tenebitur ad restitutionem realem cum effectu, sub pœna Excommunicationis, quam Archiepiscopus, vel Episcopus, in eum ferre poterit, cessante aliquâ appellatione.

Qui

Qui si eam interposuerit, Capitulum ejus appellationi deferre non debebit. Quodsi detulerit, ad satisfactionem tenebitur; ad quam appellans tenebatur: nisi tunc constaret de manifesto & notorio gravamine, per Archiepiscopũ, vel Episcopum, rationem faciens illato, de quo gravamine Capitulũ cognoscere debebit. Alijs pœnis Iuris, & statutorũ Provincialium, contra vsurpantes Bona Ecclesiarum vacantium, in suo robore duraturis.

Quæ omnia præmissa, in dicta Constitutione sproviana, loco citato, descripta sunt.

Et quamvis Constitutiones Provinciales, in Synodo Provincjali, ab Jllustrissimo & Reverendissimo Bernardo Macieiowski, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, tituli S. Joannis ante portam Latinam, Archiepiscopo Gnesnensis, sub auspicijs Pauli V. Summi Pontificis, Anno D. 1607. Petricoviæ celebrata, sint reassumptæ, ut in eadem constitutione Macieioviana, folio apud me 19. sub titulo de Statutis Provincialibus Antiquis. Et in Synodo Provinciali ab Jllustrissimo & Reverendissimo Dno Laurentio Gembicki, Dei & Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Anno Domini 1621, die 26. Mensis Aprilis, Petricoviæ celebrata, folio apud me 26. sub titulo de Statutis Provincialibus, statutum est, ut Statuta antiquiora, libris 5. contenta, & per Sedem Apostolicam, à Martino V. Ioanne XXIII. & Gregorio XII. confirmata. Et in Constitutione Provinciali, ab Jllustrissimo & Rndissimo Ioanne Węzyk,

Dei & Apostolicæ sedis gratiâ, Archiepiscopo Gnesnensi, Anno Domini 1628. die 22. Mensis Maij, Petricoviæ celebrata, folio apud me 70. sub tit: Ne sede vacante: specialiter, dicta Constitutio Sproviana, de Electione Administratoris, & Bonorum Episcopalium, sede vacante regimine, uti Provinciæ huius rebus, Bonis Personis, & locis accommodatam, servandam, prædicta Synodus præcepit. voluitq; omnino, ut in omnibus Diœcesibus, & Ecclesijs Regni huius & Magni Ducatûs Lithuaniæ, antequam ad Electionem Administratoris, vel Bonorum mensæ Episcopalis distributionem deveniatur; Juramentum præstetur secundum formam in eâdem Sprovianâ descriptam: Bonaq; Episcopalia, in Regimen, non per senium, uti Præstimonia dividi solent: sed illis, qui magis idonei ad rem familiarem gerēdam, & Bonorum defensionem videbuntur, committantur.

Nihilominus disposita in dictâ Constitutione Sproviana, in usu, & praxi, hisce temporibus non sunt.

Et primò; quòad Electionem Archiepiscoporum vel Episcoporum per Capitulum faciendam. Nam hæc Electio libera cessavit: & Serenissimi Reges vacante sede, nominant juxta arbitrium suum, cum clausula, ut nominatum à se & non alium, Capitulum eligat; atq; sic hodie illa Electio libera, in imaginariam & fictitiam transijt.

Secundò; Capitula hodie, non faciunt sumptus ex Bonis mensæ Archiepiscopalis vel Episcopalis, in Curia Romana, pro facto Electionis vel postulationis, sed nominatus

tus à Serenissimo Rege, & à Capitulo Electus, dictam expeditionem, sumptu proprio in Curia Romana procurat.

Tertiò, Annus gratiæ non ita practicatur, prout in dicta Constitutione Sproviana ordinatum est: Nam in dictâ Constitutione Gembiciana capite sexto, aliter statutum est: *Eadem synodus, cupiens Ecclesiasticorum in hac Provincia indemnitati consulere; innovat antiquum ab immemorabili tempore, ex auctoritati Apostolicâ, in usum Inductum Statutum Provinciale, de Anno gratiæ. Et declarat ex prædicto Statuto, non defunctis tantum Beneficiatis, sed vivis etiam, quâcunq; ex causa illorum Beneficia Iure vacare in vita ipsorum contigerit, juxta Bullam Leonis X, Annum gratiæ deberi. Ideoq; omnes sine exceptione, huius Provinciæ Beneficiatos seculares, ad huius statuti observationem obligari: & cùm in Cathedralibus, atq; Collegiatis Ecclesiis, à minoriq; Clero idem statutum observetur: æquum sanè est, ut Rndissimi Episcopi, suis hoc Prædecessoribus, pro sublevandis ipsorum Episcopalibus, & Senatoriis oneribus, ex eodem Statuto libenter præstent, quod eadem lege Iustitiæ, à suis Successoribus præstare sibi cuperent: Ita tamen, ut non ad rigorem justi valoris proventuum, sed ex æquo & Bono, eadem pars Anni gratiæ à Successore Beneficij solvatur.* Hucusq; verba dictæ Constitutionis Provincialis Gembicianæ.

Idem quoq; in Constitutione secunda Provinciali Węzykoviana, folio apud me 17. sub titulo, de Abbatijs vacantibus, statutum est: *Vt Bona Ecclesiastica, post mortem Abbatum*

Abbatum, vel Præpositorum, cum suis redditibus, & proventibus, integra remaneant, ac futuro, prout de Iure, Successori conserventur; nevè à quibusuis diripiantur: statuit Synodus, antiquæ consuetudini inhærendo, ut Domini Locorum Ordinarij, post decessum Abbatum, seu Præpositorum, Administratorem ex medio sui Capituli, unà cum Priore Monasterij, constituant, qui indemnitati eorundem Bonorum, etiam immobilium, per defunctum derelictorum, prospiciant; de hisq́ futuro Successori, adinstar Sprovianæ Constitutionis, de sede vacante, in novissima Synodo, à Sede Apostolica approbatæ, rationem reddere teneantur. Raptores autem Bonorum, redditum, & rerum à defuncto relictarum, pœnam excommunicationis ipso facto, contra rapientes Bona post mortem intestati, Statutis Provincialibus decretum, incursuros decernit. Æquum etiam censet Synodus, ut in Abbatijs & Præposituris commendatis modus procedendi adinstar Anni gratiæ, per Bullam Leonis X concessi observetur, sed Regulares minimè id attendunt præcipuè Cistercienses.

Sed Patres Regulares dicta Iura non observant, verum post mortem Abbatis etiam Commendarij diripiunt, & quod maius est, citra modestiam Regularem, arma arripiunt. In quo Jllustrissimi & Reverendissimi Episcopi & Archiepiscopi deberent serio agere, & resistere, & illorum temeritatem compescere.

De Anno autem hoc gratiæ, libro 3tio Constitutionū Provincialium, folio apud me 77. sub titulo, de Anno gratiæ

tiæ constitutum est. *Vt quilibet Prælatus, Canonicus, Altarista, Plebanus, Vicarius, & ex quocunque titulo Beneficiatus, curatus, & non curatus, in universa Provincia, si moritur in primis mensibus Anni incipientis, à Circumcisione Domini, habet quartam partem omnium redditaum, juxta valorem suorum Beneficiorum: sed Successori frumenta æstivalia relinquat ad seminandum prædium. Si in tribus mensibus secundis, habet medietatem: si in tertiis tribus mensibus, habet tres partes de frumentis hyemalibus, ad quantitatem Prædij non seminati, Successori relictis: sed in residuis mensibus, habet totum.*

Sic & Leo Papa X. in Bulla sua, Romæ apud Sanctū Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1515. quinto Idus Augusti, Pontificatus sui Anno tertio, edita, de prædicto Anno gratiæ, statuit: *Tum in certo Statuto Provinciali Gnesnensi hactenus observato, expressè caveatur: Quod quilibet Prælatus, Vicarius, & quocunque titulo Beneficiatus, cum curâ, vel sine cura, si moritur in primis tribus mensibus Anni, incipiendo à Circumcisione Domini, habeat partem introituum, & emolumentorum, juxta verum valorem suorum Beneficiorum, Successori tamen frumenta æstivalia relinquat ad seminandum prædia, si vero in tribus secundis mensibus, habeat medietatem: Et si in tribus tertijs mensibus, habeat tertiam partem: de frumentis hyemalibus, ad quantitatem prædij, vel prædiorum non seminatorum Successori relictis. Si vero in vltimis tribus mensibus moritur, habeat universos fructus illius*

lius Anni, prout in eodem Statuto plenius dicitur contineri.

Quantùm ad ſuſtentationem, & conſolationem Regẽtium, in dicta Conſtitutione Laurentij Gembicki Archiepiſcopi Gneſnenſis, folio apud me 24. ſub titulo, de Officio Capituli ſede vacante, ſic diſponitur: *Vt Capitula, sui Offici partes, ſub tempus vacationis ſedium Episcopalium in redditibus patrimonij Eccleſiaſtici colligendis, & aſſervandis, ex præscripto Statutorum, in anterioribus Synodis latorum expleant: Abuſus, qui hac in parte, in damnum Episcoporum irrepserunt, abolemus: decernimusq́, ut Adminiſtratio, & ſuſtentatio, aliјq́ ſumptus, qui Adminiſtratoribus Bonorum, ſedibus vacantibus, incumbunt, limites veterum Conſtitutionũ non excedant: Perſonæq́ Capitulares, ſumptus ampliores, quã ſtatuta permittant, non faciant, neq́ in rem ſuam, ex peculio fructibusve Bonorum Episcopalium, plura ſibi vsurpent; ſub pœna Excommunicationis, & reſtitutionis, alias juxta Statutũ antiquum Provinciale.*

Jn Conſtitutioneq́, Provinciali prima, Joannis Wężyk, folio apud me 70. ſub titulo, de ſede vacante, ſtatutum eſt: *Vt nemo Dominorum Regentium Bona Clavis ſuæ commiſſæ locare vel in Arendam cuipiam concedere præſumat; ſed quilibet Notarium juratum, vnâ cum villico in ſua Clave habeat, qui Proventus omnes perceptos, & expensos, de quibus vnusquisq́ Regens rationem reddere debet, fideliter & ordinatè conscribat, ut nimirùm Succeſſor Episcopus, ſufficientem rationem accepti & expenſi Inventariumq́ omnium habeat: occaſioq́*

casioq; litium & querularum praecedatur, salvâ honestâ & sufficienti provisione uniuscuiusq; Regentis.

Quantum ad rationem reddendam à Regentibus Clavium, & ab ipso Administratore. In dicta Constitutione prima Wężykoviana folio apud me 70. & sequ sub titulo sede vacante, sic constitutum est: *Ratio Administrationis ab uno quoq; Regente, successori Episcopo, intra tres menses facienda est: primùm in Capitulo; eâq; postea ad requisitionẽ Episcopi illi ostendenda: quae si Episcopo non satisfaciat, de eâ cognitio fieri debet ab Episcopo, cum adiunctis ex Capitulo, iuxta dispositionem Concilij Tridentini sess. 26. de Reformatione, cap. 6. A Iudicio vero Episcopi, & Adiunctorum Capituli, ad Superiorem Iudicem appellari poterat. Sed apud Nos hoc, à quodam Episcopo non fuit servatum. sed Administrator debuit rationem Administrationis coram Rñdissimo Nuntio Apostolico facere. Quâ autem Authoritate ignoro siquidem dicta Constitutio Wężykoviana sit à sede Apostolica approbata, & ideo servanda.*

Ad haec in eadem Constitutione Provinciali Wężykoviana prima loco citato statutum est: *Quòd Capitulum, Administrator, vel Regens Clavis cuiuslibet, abstinere debet à dispositione quorumvis Bonorum; neq; illa Beneficia conferre per se, vel per suum Balivum. Neq; Câpitulum subscribat, vel sigillo obsignet Privilegia defuncti Archiepiscopi vel Episcopi, quae vivente Archiepiscopo, vel Episcopo, capitulariter subscripta, videlicet ante viginti dies obitus Episcopi, vel*

consignata à Capitulo non fuerint. sed quævis Privilegia, & Gratiæ, quæ effectum suum sortitæ non sunt ante viginti dies mortis Archiepiscopi, vel Episcopi, futurum Successorem in Archiepiscopatu, vel Episcopatu expectent: aliter concessa, vel edita, nullitatis vitio subsint.

Jn dicta Constitutione Laurentij Gembicki, folio apud me 25. sub titulo de Bonis mensæ Episcopalis, monentur Jllustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi, ut circa locationem Bonorum mensæ Episcopalis, clausulam apponant Actis Castrensibus roborandam, quod dictorum Tenutarij, sede Episcopali vacante, Bona mensæ Episcopalis, Capitulis liberè & sine contradictione tradent. Idem ante, & in Constitutione Provinciali Macieioviana, folio apud me 10. sub titulo, de non alienandis Bonis Ecclesiæ. sed Jllustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi id non observant, & sine scitu & consensu Capituli, Bona mensæ Episcopalis, arendant, absq; dicta clausula. Et quod maius est; anticipatè pro toto anno pecuniam accipiunt. Hinc sede Episcopali vacante, maximæ oriuntur difficultates. & lites, cum maxima jactura Bonotum, & damno Regentium.

Jd quoq; censui notandum circa Constitutionem Administatoris: quòd licet Concilium Tridentinum cap: 16. sess: 24. de Reformatione, statuit: ut Capitulum, post mortem Episcopi sui vnum, vel plures Oeconomos fideles constituat; qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curā gerant: Et præterea Officialem seu Vicarium, intra octo dies

dies constituat, vel existentem confirmet. Tamen dicta Constitutio & ordinatio Concilij Tridentini, apud Nos non servatur, sed Administrator eligitur, qui & curam proventuum gerit; & Iurisdictionem Iudicialem exercet.

Dictus itaq; Administrator à Capitulo sede vacante Episcopali, à Capitulo constitutus, debet literas innotescentiales electionis sui in Administratorem extradere, & per totam Diœcesim transmittere, sub hac, vel simili forma.

Innotescentiales Administatoris.

Hieronymus &c. scribantur omnes tituli eius quos habet & in fine apponatur: ac sede vacante Episcopatus N. Administrator generalis, postea sequitur universis & singulis Secularibus, & Regularibus Prælatis, Fratribus in Christo dilectis, cæterisq; Presbyteris & Clericis, per Civitatem, & Diœcesim universam N, ubilibet constitutis salutem in Domino.

Licet existimemus omnibus vobis innotuisse, Nos, post decessum felicis memoriæ Illustrissimi & Rndissimi N. Episcopi N. munus administrandi eiusdem Episcopatûs delatum capessivisse. (ad quod ritè obeundum, auxilium inprimis celeste vestras deinde orationes imploramus.) Tamen id servato ex Iuris præscripto ordine, ne quis forte ignorantiam in excusationem adducendam putet, omnibus Iurisdictioni ordinariæ subiectis, quorum interest notum facimus: Nos, Deo volente feriâ N. post Festum N. proximè ventura paratos, & accinctos esse, præmissa Iurisdictionis Nostræ fundatione, ad Iura quævis pro Tribunali reddenda, Iudicia exercenda, omnes causas, contro-

versias, Actiones, coram quibuscunque Iudicibus Ecclesiasticis, occasione quarũcunque rerum, ante motas, & vertentes, per Nos, de novo, à punctis & terminis in quibus steterunt, ac pendent indecisa reassum, ac iuxta processum Iudiciarium continuan, ac alia, quæ Iuris & Iustitiæ fuerint Iurisdictione ita postulante, proceden. In cuius rei fidem, præsentibus manu Nostra subscriptis, Sigillum Nostrum est subimpressum. Datum die N. Mense N. Anno N.

Si autem Episcopus moriatur penes Cathedram, vel alibi, sed sepultura ejus in Ecclesia Cathedrali fiat tunc Administrator solet edere processum ratione sepulturæ Episcopi defuncti, sub hac, vel simili forma.

Processus ratione sepulturæ Episcopi defuncti.

Hieronymus &c. Perillustribus & Admodum Rñdis, Venerabilibus ac Religiosis Prælatis, Canonicis, Præpositis, Parochis, Guardianis, Prioribus Ecclesiarum & Collegiatarum, Parochialium, & Conventualium hic in Civitate N. vel extra muros eiusdem Civitatis consisten: earumque vicesgerentibus, Vicariis, Mansionarijs, Altaristis, Præbendariis, cæterisque salutem in Domino.

Non dubitamus Vobis notum esse, superioribus diebus, Illustrissimum & Rñdissimum olim N. Episcopum, N, extremum diem obijsse: cuius corporis sepulturæ dies N. Feriâ, N. Mensis N. in Ecclesia Cathedrali N, peragendæ, designatus: Eà propter à Nobis pietatis & charitatis Officii quo superioribus adstricti sumus, exigente. Vos omnes, & singulos, invitamus, &

hortamur,

hortamur: quatenus omnes, & singuli, una cum Fraternitatibus seu Companijs, in quorum Ecclesiis sunt institutæ, Feria N. proxime venturâ ante horam N. in minori horologio, ad Curiam Episcopalem penes Ecclesiam Cathedralem existentem, (vel si alibi fuerit, tunc exprimatur) in qua eiusdem Illustrissimi & Rndissimi Episcopi defuncti corpus deponetur conveniatis: Indeq; omnes, ordine suo debito, & in processionibus publicis adhiberi consueto, corpus memorati Illustrissimi Reverendissimi N. Episcopi defuncti, ad prædictam Ecclesiam Cathedralem N, hoc ultimum ipsi quasi debitum Amoris & obsequij, exolven, deducatis: oblationes, & Sacrificia offeratis, orationes pro salute ipsius Animæ ad Deum Omnipotentem, devotè fundatis; & Christi fidelibus orationibus, in Concionibus recommendari curetis. Facientes & ad Vestras Ecclesias omnes campanas dicta Feria N. proximè futura, audito sono maioris Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, pro more, & consuetudine in talibus fieri solitis, pulsare: aliaq; omnia, quæ celebritas huiusmodi funeris requirit, exequi, non negligatis. Volumus autem, ut præsentis Processus literas, unus ad alium, ordine solito, sine morâ transmittat; ultimus vero easdem Officio Nostro reddat, sub pœna Synodali. Insuper monemus omnes Altaristas & Præbendarios Ecclesiæ Cathedralis N. ipsisq; sub pænis Canonicis mandamus: ut Altaria sua ad celebranda Sacrificia, dictâ Feriâ N, adornent. In cuius rei maiorem fidem, præsentis processus literis sigillum Nostrum apponi mãdavimus. Datum &c.

Solent & aliæ literæ Processus per totam Diœcesim, extradi, ut pro Anima Episcopi defuncti, Missæ & Divina Officia peragantur, sub tali, vel simili forma.

Hieronymus N. N. Vniversis & singulis N. N. salutem in Domino. Et si pro pietatis & Religionis Officio, pro uniuscuiusq; in Christo obdormientis salute, Deum Omnipotentē deprecari debeamus; tamen vel maximè erga illos, qui dignitate & sublimitate alicuius Officij, in Ecclesia Dei perfuncti sunt, præstare adstringimur. Cum itaq; Illustrissimus & Rndissimus N. N. Episcopus N. extremum vitæ cursum confecisset visum est Nobis ut pro Officij Nostri ratione, ad simile Officium pietatis omnes & singulos adhortaremur, & moneremus, prout hortamur, & monemus: mandantes omnibus & singulis, in virtute sacræ obedientiæ, & sub pænis Canonicis præcipientes: quatenus vestris in Ecclesijs, quam primùm Officium defunctorum, cùm Sanctæ Missæ sacrificio, adhibitis cæremonijs circa Actus huiusmodi, & more Ecclesiæ Catholicæ adhiberi consuetis, peragatis, peragiq; faciatis; & populum vniversum, ad orationes pro anima illius ad Deum Præpotentem fundendi, Vestris in Concionibus, excitetis, & excitari curetis: volumus autem ut hasce literas Nostras Processus, Officiales Foranei (si in aliqua Diœcesi sint) factis eorvm transsumptis, ad Decanos Rurales, Decani autem per Decanatus suos, & sic primus ad alios sequentes Præpositos

positos sine mora, per solitam Cursoriam transmittant, & debitum Executionis demandēt, vltimus verò, easdem literas Processus ad Officium Nostrum, sine mora transmittat. In cuius rei maiorem fidem &c. Datum N. N.

Ad præmissa adiungo; quod libro tertio Constitutionum Provincialium folio 181. sub titulo, de Missis pro defunctis spiritualibus celebrandis statuitur his verbis: Quia Ecclesiarum Cathedralium Prælati, & Canonici Confratres in Christo, ex approbata consuetudine nuncupantur, & ideo ut ex Confraternitate huiusmodi aliquis fructus proveniat animabus, statuimus; ut postquam Prælatus, vel Canonicus Ecclesiæ Cathedralis obierijt, superstites Prælati & Canonici, cum primum obitus defuncti ad eorum notitiam pervenerit, quivis Prælatus pro anima Principalis Prælati, id est Archiepiscopi, vel Episcopi sex Missas cum totidem vigilijs pro animá verò æqualis Prælati defuncti, tres Missas cum totidē vigilijs absoluvere per se, vel alium teneatur. Canonicus verò pro anima principalis Prælati, idest Archiepiscopi, vel Episcopi tres Missas cum totidem vigilijs: pro anima verò inferioris Prælati, vel Canonici, vnam Missam cum vigilijs similiter per se, vel per alium, quàm citò commodè poterit, virtute Fraternitatis, & statuti huiusmodi, dicere sint adstricti. In quo ipsorum conscientias oneramus.

Si autem contingat mors Archiepiscopi, tunc Administrator sede vacante Episcopatus, (sicut & alij Episcopi vi-

ventes

ventes, Processum pro anima eiusdem extradere debet, sub hac, vel simili forma

Processus pro Anima Archiepi defuncti.

Hieronymus N: N Perillustribus & Admodum Rndis Ecclesiæ Cathedralis N. Prælatis & Canonicis, tùm Ecclesiarum Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum tam secularium, quàm Regularium Præpositis, Decanis, Rectoribus, atq; Vniverso Clero Diœcesis N. salutem in Domino

Postquàm Divinæ providentiæ decreto, Jllustrissimus & Rndissimus Dominus, inclytæ memoriæ N. *N.* Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus, Regniq; Poloniæ Primas, primusq; Princesps, vniversæ carnis viam ingressus mortalitatis legem non ita pridem implevit: in quod Christianæ pietatis Officium, vltrò citroq; omnes incumbere debemus. Ad id præsentium literarum Nostrarum suffragia pacem Nobis conferemus: ut nimirùm corde vestro, in conspectu Altissimi, effundatis. & juxta præscriptum Constitutionum Provincialium Gnesnensium, libro tertio, sub titulo, de Missis, pro defunctis spiritualibus Sacrificia; & vigilias juxta Rubricam Officij defunctorum in Breviario Romano appositum adiungatis. Alios verò Christi fideles, authoritate Nostrâ in Concionibus, Vestris exhortationibus, & alijs quibusvis admonitionibus spiritualibus ad effundendas preces pro anima ipsiùs induci faciatis, & in quantum in vobis est, inducatis: Quatenùs orationes ipsorum Vestris Sacrificijs, atq; psalmodijs, apud Deũ Omnipoten-

potentem, adjungant & demortui, spem beatam intuitu gloriæ magni Dei cumulatè expleri faciant: deinde peculiariter vnanimibus votis Majestati Divinæ supplicabitis, ut in locum defuncti, de tali Nobis provideat Successore qui possit desiderium, & mærorem nostrum, quem ille moriens reliquit, mitigare: Ecclesiæq; bonum Regimen ita feliciter tenere; ut ejus salutari pioq; consilio, & exemplo, divini furoris, flagellis à Regno hoc, misericorditer aversis, cultus Dei felicibus ubiq; assurgat incrementis: Respublica verò pacis ornamentis floreat. Cupimus ergo in ejusmodi orationibus Clerum vniversum assiduum tantisper perseverare; quoad de colatione istius Dignitatis, indubitatam ad se veritatem, rumor certus adtulerit datum &c.

Quantùm ad distributionem Clavium Episcopalium, debet Administrator sede Episcopali vacante, extradere literas sub hac vel simili forma.

Literæ distributionum, Clavium, Episcopalium per Administratorem sede Episcopali vacante dari solitæ.

Hieronymus N. N. & sede vacante Episcopatûs N. Administrator generalis.

Vniversis & singulis quorum interest, potissimum autem clavis N. incolis eiusdem Clavis, significamus præsentibus lite-

ris Nostris. Quomodo sede vacante Episcopali, post obitum olim Illustrissimi & Rndissimi N. Episcopi Nostri N. Perillustres & Admodum Rndi Prælati & Canonici, Ecclesiæ Cathedralis N. inhærendo statutis Provincialibus, & Capitularibus, ac indemnitati Bonorum Ecclesiasticorũ, consulendo ad Electionẽ seu veriùs Constitutionẽ Administratoris Episcopatus præfati, processerunt, & concordibus votis (vel ex pluralitate votorum,) hoc onus humeris Nostris imposuerunt: ut Bona Episcopatûs præfati, debito ordine, ex præscripto Statutorum Provincialium, citra omnem moram administrentur; alios Confratres eiusdem Capituli N. Perillustres & Admodum Reverendos Prælatos, & Canonicos in sortem onerum, stante vacatione eiusdem Episcopatûs ferendorũ aduocandos esse statuimus, atq; habita una cum Capitulo tunc cõgregato maturâ deliberatione ad distributionẽ Clavium seu Tenutarum Bonorum Episcopalium, pro more, & consuetudine antiquâ, processimus. In qua distributione, Perillustri & Admodum Rndo N.N. Clavis N.N. cum omnibus & singulis villis, prœdijs, proventibus, redditibus, censibus, Decimis cæterisq; obventionibus quibusvis, ex eadem Clave N. ad mensam Episcopalem provenientibus, ad gubernandum, regendum, & administrandum obtigit. Quo pro sui sustentatione & conservatione, Bonorum quæ de consuetudine & præscriptione statutorum Provincialium recipi solent, recipiat: cœtera autem, ex fructibus & redditibus ibidem interim provenientibus congregata, pro Illustrissimo & Reverendissimo futuro Episcopo integrè & fideliter asservare tenebitur. Vobis

omni-

omnibus & singulis quorum interest intimamus: mandantes, quatenus eidem, & nemini alteri, omnes, & singuli dictæ Clavis N. incolæ, & subditi, debitam obedientiam reddatis, sede vacante Episcopali durante, non aliter quàm Vestris Dominis obtemperetis, nullius alterius, nisi ipsius superioritatem agnoscentes. Quodsi quis Vestrum mandato Nostro obtẽperare recusaverit, gravissimas pœnas arbitrio Nostro reservatas in eum extendemus: Et ipse præfatus Perillustris & Admodum Rndus N. Tenutarius extendet in inobediẽtes, prout Ius, & ratio ipsi dictaverit, puniet. Insuper moderno dictæ Clavis N. Tenutario mandamus: ut de possessione dictorum omnium Bonorum, præfato Perillustri & Admodũ Rndo Dño N. N. cedat, & inpossessionem eorundem Bonorum ipsum liberè, ac citra quamvis contradictionem dimittat, & tradat. In quorum maiorem fidem &c. datum. N.

Et quoniam, in Diœcesi Nostrâ Posnaniensi, Præter Administatorem Bonorum Episcopalium, & Vicarium seu Officialem Generalem constitutum à Capitulo; occurrit Constitutio Officialis Varsaviensis, pro Magno Ducatu Masoviæ; ideo placuit hic inserere, qualem vivens Episcopus, ipsi facultatem det: Nam & Capitulum sede vacante, & Administrator (si à Capitulo habuerit facultatem eundem constituendi, & facultatem eidem dandi) eandem dare sub hac formula potest mutatis mutandis.

Constitutio Officialis Varsaviensis ab Episcopo.

Andreas N. &c, Illustribus & Admodũ Rndis DD. Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, ac alijs quibusvis

Curatis, & non Curatis, Presbyteris: universoq; Clero, & populo Territorij Varsaviensis, & Ducatûs Masoviæ, salutem in Domino sempiternam. Posteaquam muneri Episcopali, divinâ volente benignitate, humiles Nostros subiecimus humeros, ad eiusdem muneris Officium exequeñ Nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ut de illo possimus, ad ipsius laudem, cuius ore vocati sumus, dignos producere fructus. Inter verò cunctas solicitudines, quibus pulsamur; ea est cura præcipua, ut Clerum Iurisdictioni Nostræ subiectum, in recto conservemus vel constituamus ordine. Ad cuius regimen, in subsidium nostrum, tales debemus assumere viros, qui Clero, & populo, non solum authoritate præesse, sed etiam virtutibus, & bono exemplo, prodesse velint, possint, & valeant. Maturè itaq; trutinantes, cui vices Iurisdictionis Nostræ, in Territorio Varsaviensi, & Magno Ducatu Masoviæ committeremus, occurrit Perillustris & Admodum Rñdus Dñus N. N. quem ob generis splendorem vitæ integritatem, morum probitatem, Iuris scientiam, Iudicij maturitatem; gravitatem comitate temperatam, in rebus gerendis dexteritatem, aliasq; dignas qualitates, tanto muneri parem judicavimus, & in Vicarium Nostrum in Spiritualibus, Officialemq; generalem Vârsaviensem, Iudicemq; ordinarium, constituendum & deputandum esse duximus; uti quidem deputamus, creamus, & constituimus. Dantes eidem omnimodam potestatem, & facultatem, omnes, & singulas causas, & actiones, Beneficiales, matrimoniales Civiles, & criminales, & alias quascunq; ad Forum Ecclesiasticum de Iure

& con-

& consvetudine, spectantes, & pertinentes, inter quascunque personas Spirituales, & Seculares, motas & movendas, audiendi, & servatâ figurâ Iudicij, seu etiam summarie, & de plano cognoscendi, fineque debito, mediantibus decretis, terminādi ac eas debitæ executioni demandandi: citationum monitoriorum, & inhibitionum literas, contra quascunque personas tàm Spirituales quàm Seculares decernendi, & extradendi: Contumaces & rebelles, Iuri, & Rei iudicatæ non parentes, excommunicandi, aggravandi & superaggrauandi: aliasque pœnas, à Iure & sacris Canonibus præscriptas, in eosdem promulgandi: & rursum ab eisdem censuris, toties quoties opus fuerit, absolvendi: Contractus quosvis, licitos tamen, & honestos, recipiendi, admittendi, & confirmandi: Resignationes quorumvis Beneficiorum, in formâ Iuris solitâ, ex causa legitimâ à Sacris Canonibus & Constitutionibus præscripta admittendi: præsentationes, ad quævis Beneficia Ecclesiastica, (Prælaturis, & Canonicatibus Ecclesiæ Nostræ Collegiatæ Varsaniensis, nec non Beneficijs Iurispatronatûs Sacræ Regiæ Maiestatis exceptis) per cessum, sive decessum, vacatura, servâtis de Iure servandis, instituendi, & investiendi. Testamenta tàm Spiritualium quàm Secularium personarum, valorem trecentorum florenorum non excedentia, approbandi, confirmandi: si ea Iuri contraria non fuerint, post intestatos verò Clericos de derelictis, sine Nostra speciali licentia non disponet: sed tantum providebit, ne Bona ipsorū distrahantur: & de eisdem Nobis significabit. Insuper vigore

gore dictæ facultatis, super criminibus, excessibus, ac delictis, tàm Cleri, quàm Populi Nobis subiecti, per viam denuntiationis, accusationis seu generalis vel specialis Inquisitionis, procedere, & cognoscere; Reosq; ac convictos, juxta exigentiam delictorum, ad mentem Iuris seu alias de arbitrio suo punire: Prælatis tamen & Canonicis Ecclesiæ Nostræ Collegiatæ Varsaviensis exceptis. Contra violatores Personarum, Bonorum, ac Immunitatum Ecclesiasticarum, ipsarumq; Ecclesiarũ iuxta sacrorum Canonum præscripta procedere; & contra eos, sententias ferre. Presbyteros, prævio sufficienti examine, idoneos pro excipiendis Confessionibus approbare, etiam in casibus sedi Nostræ ordinariæ, quomodocunq; reservatis. Commendas ad Ecclesias Parochiales, ex iusta & rationabili causa concedere Presbyteris idoneis secularibus legitimè examinatis & approbatis. In denuntiationibus Ecclesiasticis à Sacro Concilio Tridentino in ordine ad matrimonium requiri solitis, cum Personis Nobilibus, & alijs ex legitimâ causâ, dispensare. Indulta pro esu carnium, & Lacticiniorum; dùm & quando necessitas infirmorum aliquorum valetudinis postulaverit: Ac etiam pro celebrandis Missis, ad Ecclesias non consecratas non autem ad Capellas, & privata oratoria, (quæ Nobis ipsis reservamus) concedere: Indulgentias quasvis admittere: Exercitium Pontificalium, Antistiti Catholico concedere: Res, ad Altare pertinentes benedicere: Monialium in Diœcesi Nostrâ existentium, (hoc est in Territorio Varsaviensi, & in toto Ducatu Masoviæ) curam habere, in illis,

quæ

quæ à Sacro Concilio Tridentino præscribuntur. Supplicationes & Processiones publicas, dum necessitas postulaverit decernere: ac alia omnia & singula, necessaria, & opportuna, inpræmissis omnibus præscriptis metis Iurisdictionis, facere, exercere, & exequi poterit. Facultatē aliam Personam idoneam, in locum sui, dum & quando opus fuerit, ad præmissa, subdelegandi, & assumendi. Quæ omnia & singula, vobis omnibus & singulis suprascriptis, ad notitiam deducimus: mandantes tam Pręlatis, quam Canonicis Ecclesię Nostrę Varsaviensis: quàm alijs quibuscunq; Presbyteris Diæcesis Nostrę seu verius Territorij Varsaviensis, & Magni Ducatûs Masovię, Secularibus & Regularibus, universoq; Clero, & Populo: ut eidem Perillustri & Admodum Reverendo Domino N. N. tanquàm Officiali Nostro, debitum honorem exhibeant, obediant; ad eumq; in iis, quę de Iure, & consuetudine ad Forum Ecclesiasticum, spectant, & pertinent; pro Iure reddendo: administrandaq; Iustitia recurrant. Volumus autem, & mandamus: ut pręsentes literę Nostrę Authenticę, in facie Ecclesię Nostrę Collegiatę Varsaviensis, per publicum edictum, vel affixionem transumpti earum, ad valvas eiusdem Ecclesię publicentur; quo citius ad notitiam omnium deveniant In quorum fidem pręsentes literas, manu Nostra subscriptas, sigillo Nostro, communiri, mandavimus. Datum N die N Mense N, Anno N.

Et hæc de Officio & poteſtate Capituli ſede Epiſcopali

pali vacante ex diversis Authoribus, selectioribus summo labore, & diligentia à me collecta & descripta.

Cedant ad Laudem & Gloriam Dei Omnipotentis; Honorem Beatissimæ Mariæ Virginis immaculate conceptæ, & Omnium Sanctorum, Patronorum meorum, cujus & quorum singulare patrocinium expertus sum in conscribendis omnibus Operibus meis, in vtilitatem publicam, quam semper in mente habui: nulli gloriæ vanæ studens. Tu verò Lector benevole, pro me indigno peccatore ora: & si in quo defeci, supple.

38	10
4	8
37	18
37	10